

P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSES

RECOGNOVIT
BREVIQUE ADNOTATIONE CRITICA INSTRUXIT

R. J. TARRANT



OXFORD CLASSICAL TEXTS

P. OVIDI NASONIS
METAMORPHOSES

RECOGNOVIT
BREVIQUE ADNOTATIONE CRITICA INSTRVXIT

R. J. TARRANT

LITTERARVM LATINARVM PROFESSOR
APVD HARVARDIANOS

OXONII
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

OXFORD

UNIVERSITY PRESS

Great Clarendon Street, Oxford OX2 6DP

Oxford University Press is a department of the University of Oxford.
It furthers the University's objective of excellence in research, scholarship,
and education by publishing worldwide in

Oxford New York

Auckland Bangkok Buenos Aires Cape Town Chennai
Dar es Salaam Delhi Hong Kong Istanbul Karachi Kolkata
Kuala Lumpur Madrid Melbourne Mexico City Mumbai Nairobi
São Paulo Shanghai Taipei Tokyo Toronto

Oxford is a registered trade mark of Oxford University Press
in the UK and in certain other countries

Published in the United States
by Oxford University Press Inc., New York

© Oxford University Press 2004

The moral rights of the author have been asserted
Database right Oxford University Press (maker)

First published 2004

All rights reserved. No part of this publication may be reproduced,
stored in a retrieval system, or transmitted, in any form or by any means,
without the prior permission in writing of Oxford University Press,
or as expressly permitted by law, or under terms agreed with the appropriate
reprographics rights organization. Enquiries concerning reproduction
outside the scope of the above should be sent to the Rights Department,
Oxford University Press, at the address above

You must not circulate this book in any other binding or cover
and you must impose this same condition on any acquirer

British Library Cataloguing in Publication Data
Data available

Library of Congress Cataloging in Publication Data
Data available

ISBN 0-19-814666-3

1 3 5 7 9 10 8 6 4 2

Typeset by Joshua Associates Ltd., Oxford
Printed in Great Britain
on acid-free paper by
Biddles Ltd., King's Lynn

PRAEFATIO

TRIA sunt de quibus in hac praefatione sum tractaturus: primum quomodo et quibus testibus libri *Metamorphoseon* nobis sint traditi, deinde quibus copiis quibusque rationibus usi sint ante nos editores, postremo quem modum in hac editione paranda sim secutus. Cum autem de his rebus multa utiliaque alii iam scripserint et ipse de quibusdam quaestionibus alibi disputauerim, hic te longo sermone non morabor.¹

I. *De codicibus et de textus traditione*

Si ipsi Ouidio fides habenda est, *Metamorphoseon* libri in lucem prodierunt numine aduerso. Nam cum carmen finem iam adiret, infelix poeta Augusti iussu in exilium missus est. Ambiguum est utrum Ouidius carmen Tomis perfecerit an *Metamorphoseon* libri etiam tum summa poetae manu caruerint cum primum lectorum in manus uenerint. Primis exilii sui temporibus Ouidius plus semel carmen excusauit tamquam aliquo modo imperfectum, ut in his uersibus quos in fronte primi libri praeponi se uelle dixit:

Orba parente suo quicumque uolumina tangis,
his saltem uestra detur in urbe locus.

¹ Vide i.a. 'Editing Ovid's *Metamorphoses*: Problems and Possibilities', *CPh* 77 (1982), 342–60, et L. D. Reynolds (ed.), *Texts and Transmission: A Survey of the Latin Classics* (Oxonii, 1983), 276–82, necnon quae scripsit W. S. Anderson in praefatione editionis suae Teubnerianae et quae nuperrime disseruit J. A. Richmond in B. W. Boyd (ed.), *Brill's Companion to Ovid* (Lugduni Bataurum, 2002), 469–74.

PRAEFATIO

quoque magis faueas, non sunt haec edita ab ipso,
sed quasi de domini funere rapta sui.
quidquid in his igitur uitii rude carmen habebit,
emendaturus, si licuisset, erat.²

Sed dubitari potest quantum ponderis uerbis poetae sit tribuendum lectorum beneuolentiam nouo more captantis. Nulla profecto operis imperfecti uestigia in illis libris deprehendimus, sicut uersus aliquot curtos uidemus in Vergili Aeneide; at critici nonnulli affirmauerunt duas textus Ouidiani formas hic illic in codicibus esse conseruatas, quibus si assentias, Ouidium carmini certam formam numquam dedisse facile credas. Sed ad hanc quaestionem reuertendum erit.

Vtut ea res se habet, constat Metamorphoseon libros breui tempore innotuisse, quippe quos uterque Seneca aliquotiens nominatim laudauerit quosque Seneca traegodius alique illius temporis scriptores saepissime imitati sint. Neque ullo post saeculo, aut antiquitatis exeuntis aut Medii quod uocatur Aeui, Metamorphoseon libris defuerunt lectores imitatoresque. Nempe codices plus cccc qui adhuc exstant testantur quantus fuerit in nostrum carmen fauor apud uiros Medii Aeui doctos, praesertim postquam studium litterarum antiquarum saeculis xi et xii renatum est.³

Quod autem ad carminis textum constituendum

² *Tr.* 1. 7. 35-40; u. etiam *Tr.* 2. 555-6 'coepaque sunt nobis, quamuis manus ultima coeptis / defuit, in facies corpora uersa nouas.'

³ Codicum repertorium perutile confecit Franco Munari, *Catalogue of the MSS of Ovid's Metamorphoses* (Londini, 1957), idemque supplementa duo adiecit: *RFIC* 93 (1965), 288-97, *Studia Florentina Alexandro Ronconi Sexagenario Oblata* (Romae, 1970), 275-80. Non pauca nuper correxerat addiditque F. T. Coulson, *Manuscripta*, 38 (1994), 3-22, *Rev. d'hist. des textes*, 25 (1995), 91-127. Codices ante annum mcc exaratos descripsit et opuscula ad eos pertinentia indicauit B. Munk Olsen, *L'Étude des auteurs classiques latins aux XI^e et XII^e siècles* (Lutetiae Parisiorum, 1982-9), ii. 111-81, quem in aetate codicum aestimanda plerumque secutus sum.

PRAEFATIO

attinet, maxime est notandum simulque dolendum nullum codicem integrum saeculi ix aut x esse superstitem, aetatis scilicet illius Carolinae quae codices praestantissimos Horati Lucani Iuuenalis multorumque aliorum scriptorum nobis tradidit. (De Vergilio taceo, cuius opera in libris pluribus splendidissimis exeuntis antiquitatis conseruantur.) At contra librorum Metamorphoseon supersunt fragmenta et excerpta quaedam s. ix nonnisi parua necnon duo codices s. x mutili. Codices autem integri qui exstant uetustissimi sub s. xi finem et s. xii initium sunt exarati.

Quae cum ita sint, haud est dubium codices plures s. ix prorsus esse deperditos. Nam ex auctorum illius aevi testimoniis pro comperto habere possumus libros Metamorphoseon uiris doctis tum satis notos fuisse. Est praeterea ueri simile librariorum s. ix in libris Metamorphoseon describendis, ut saepe fit cum de libris lectitatis agatur, plura exemplaria adiisse et inde quasdam lectiones hausisse quae in codices posteriores manauerunt.

Quamobrem, ut id statim eloquar quod infra plenius exponendum erit, ratio textus constituendi quae hodie stemmatica uocatur adhiberi non potest. Huc accedit quod discrimen illud criticis usitatum inter codices 'uetustiores' et 'recentiores' hic parum habet ponderis, scilicet quia inter codicem s. xi exeuntis et s. xii haud multum interest.

Sed ne longius a rerum ordine errem, hi sunt testes quibus in textu constituendo usus sum. Omnes ex imaginibus lucis ope factis primum contuli, sed quosdam codices ipsos adii ut locos lectu difficiliore propius inspicerem. Eos primum serie temporis enumerabo et breuiter describam, deinde de eorum necessitudinibus disputabo. (Comparisonem siglorum a me prioribusque adhibitorum infra, pp. xlvii-xlviii inuenies.)

PRAEFATIO

FRAGMENTA VEL EXCERPTA VETVSTISSIMA

Bern Agmen ducit codex Bernensis 363, liber satis notus ut qui praeter alia scripta Horatii opera et Seruii in Vergilium commentarios conseruet. Scriptus est s. ix paulo post med.⁴ litteris quae insulares uocantur in monasterio quodam Scotico quod adhuc pro certo nominari non potest.⁵ Ff. 187^r–188^v habent *Met.* 1. 1–199, 304–9, 773–9, 2. 1–22, 3. 1–56. (Non satis apparet cur librarius unumquemque librorum trium primorum describere coeperit et mox desierit, nisi forte more Hibernico lasciuiebat.) In libro secundo et tertio praecedunt textum tituli fabularum qui appellantur Lactantiani (de quibus u. infra, p. xxvi). Imaginem totius codicis phototypicam edendam curauit H. Hagen (Lugduni Batauorum, 1897). Descr. Munari 37, Munk Olsen i. 438 s.u. Horatius.

Lips Lipsiensis Rep. I.4^o.74, s. ix in Gallia (fort. Aureliae, ut iudicauit L. Traube⁶) exaratus. Liber est miscellaneus carminum cum antiquorum tum Medii ut dicitur Aeui; ff. 28^v–31^v continent de Actaeone fabulam (*Met.* 3. 151–252), praecedente titulo ‘Acteon in ceruum’. Imaginem f. 28^v praebet Slater inter 18 et 19. Descr. Munari 151, Munk Olsen ii. 142–3.

⁴ C. E. Murgia, *Prolegomena to Servius 5—The Manuscripts* (Berkeley, 1975), 38.

⁵ Vt monuit L. Bieler, *Vmbrae codicum occidentalium*, v (Amstelodami, 1960), pp. xix s., manus eiusdem librarii inuenitur in codice Basileensi A.VII.3, quem in coenobio S. Galli exaratum esse ueri simile est. Codicem autem Bernensem Argentorati scriptum esse censuit uir in his rebus peritissimus B. Bischoff (apud Munk Olsen). Vide etiam J. J. Contreni, *The Cathedral School of Laon* (Münchener Beiträge, 29; Monaci, 1978), 91–2.

⁶ Apud R. Ehwald, *Mon. Germ. Hist. Auct. Ant.* xv (Berolini, 1919), 48. De aetate codicis u. etiam M. D. Reeve, *Texts and Transmission* (n. 1), 241 n. 19.

PRAEFATIO

Par Parisinus latinus 12246, s. ix in Gallia scriptus. Continet S. Gregorii *Moralia in Iob*, ad cuius initium insuta sunt folia duo manu paulo posteriore (s. ix ex. uel forte s. x in.) exarata, quae praebeant *Met.* 1. 81-193, 2. 67-254, cum titulis et narrationibus ut uocantur Lactantianis; altera autem pagina, 2. 161-254 continens, maximam partem legi non potest. Descr. Munari 270, Munk Olsen ii. 159; imaginem praebebat *PCL* tab. xciv.⁷

Urb Vaticanus Vrbinas lat 342, s. x med. in Gallia uel Germania occidentali scriptus.⁸ Continet Iuuenalis *Saturas*, ad cuius finem insuta sunt duo folia (ff. 77-8) codicis s. x quae *Met.* 5. 483-6. 45, 7. 731-8. 104 conseruant, sed ita ut quod sit scriptum saepius dispici non potest. Descr. Munari 371, Munk Olsen i. 590, ii. 168.

De fragmento Leodicensi et fragmento Caesenati utroque deperdito non est cur multa dicam. Fragmentum Caesenae, aetatis incertae, continebat *Met.* 9. 235-11. 169 et 13. 1-403; a L. Langermanno est collatus qui lectiones eius Heinsio communicauit. Fragmentum autem Leodicense, ab eodem Heinsio 'ueterrimum' appellatum, continebat libri 1 initium uno folio exscriptum.

CODICES ANTIQVIORES (ET INTEGRI ET MVILI)

E Londiniensis Bibl. Brit. Add. 11967, s. x in Italia scriptus. Codex mutilus continet ff. 1^r-8^v *Met.* 2.

⁷ E. Chatelain, *Paléographie des classiques latins* (Lutetiae Parisiorum, 1884-1900).

⁸ É. Pellegrin et al., *Manuscrits classiques latins de la Bibliothèque Vaticane*, ii/2 (Lutetiae Parisiorum, 1982), 554-6. Codicem in monasterio Floriacensi scriptum esse dubitanter opinatus est R. T. Bruère, *HSCPh* 50 (1939), 100-1, sed utrum de Iuuenalis textu an Ouidii locutus sit mihi non liquet.

PRAEFATIO

833-3. 510, ff. 9^r-21^v 4. 292-5. 389, ff. 22^r-29^v 5. 588-6. 411, cum titulis et argumentis Lactantianis. Descr. Munari 154, Munk Olsen ii. 143-4; imaginem praebet *PCL* tab. xcv.

H Londiniensis Bibl. Brit. Harleianus 2610, s. x in Germania, haud scio an in coenobio Tegernseensi, scriptus. Continet ff. 1^r-37^r *Met.* 1. 1-3. 622; in libro primo et secundo narrationes Lactantianae in margine a manu paulo recentiore additae sunt. Descr. Munari 166, Munk Olsen ii. 145; imaginem praebet *PCL* tab. xcvi. 1.

Ab Harleiano originem trahunt reliquiae nuper repertae codicis Tegernseensis (T) quae primi et secundi libri uersus aliquot continent;⁹ de cuius libri ceteris partibus adhuc extantibus u. infra, p. xiv.

M Marcianus Florentinus 225, s. xi² in Italia scriptus. Continet ff. 1^r-119^r *Met.* 1. 1-14. 830, omissis 8. 340-402 (quos uu. suppleuerunt tres manus posteriores), 13. 276-343, 14. 272-307; continet etiam 'Lactantii' titulos et narrationes in textu interpositas. Descr. Munari 178, Munk Olsen ii. 135-6; *PCL* tab. xcvi.¹⁰ Heinsii fuit *codex Florentinus S. Marci optimus*.

N Neapolitanus Bibl Nat. IV. F. 3, s. xi ex. uel xii in.¹¹ in Italia meridionali scriptus et coenobio illi clarissimo Casinensi non multo post dono ut uidetur datus.¹² Continet ff. 4^r-188^v *Met.* 1. 1-14. 838, litteris

⁹ Cf. W. S. Anderson, *Calif. Stud. Class. Ant.* 11 (1978), 1-19.

¹⁰ Imaginem f. 9^r praebet Magnus.

¹¹ E. A. Loew, *The Beneventan Script*³ (Romae, 1980), i. 151, ii. 99 (s. xii); G. Cavallo, *Settimane di studio del Centro italiano di studi sull'alto medioevo*, 22 (1974), 402 (s. xi ex.).

¹² F. Newton, *The Scriptorium and Library at Monte Cassino, 1058-1105* (Cantabrigiae, 1999), 247-8 acute animaduertit f. 162^v continere quosdam uersus ad Desiderium, abbatem illum Casinensem, pertinentes, quos addidit manus s. xii.

PRAEFATIO

quae uocantur Beneuentanis in modum Bariensem factis;¹³ f. 189^r habet 14. 839-51 a manu simili primae sed non eadem additos, tum sequitur ff. 189^r-201^r liber 15 a diuersis librariis s. xiv litteris quae Gothicae dicuntur scriptus. Omittit 8. 340-402 et 13. 276-343, quos uu. suppleuit manus paulo recentior; exciderunt etiam duo folia 1. 198-255 et 2. 121-81 continentia, quos uu. manus s. xiv suppeditaui.¹⁴ Tituli Lactantiani unumquemque librum, ultimo excepto, praecedunt; narrationes autem in margine exscripsit aut ipse librarius aut collega coequalis. Insunt etiam imagines lepidissimae hominum animaliumque permultae, sed illae qua ratione cum textu Ouidiano cohaereant raro intellegi potest. Descr. Munari 206, Munk Olsen ii. 152.¹⁵ Heinsii fuit *codex S. Iohannis Carbonarii Neapoli*.

Codex plurimis locis et a diuersis manibus correctus est,¹⁶ sed ita ut quid sit primitus scriptum saepius dispici possit; quae lectiones pristinae sub formula '(N^{ac})' in apparatu meo adleguntur. Multas porro lectiones uarias addidit manus quaedam recentior (s. xii-xiii), quam Andersonem secutus 'N³' nominaui. Sed cum illae lectiones uariae maximam partem cum lectionibus codicum U et P congruant, eas plerumque silentio praetermisi.

¹³ Codicis N exemplar in u. 14. 838 desuisse satis constat; nam ad imam paginam f. 188^v librarius litteras illius uersus artificiose elaborauit, quod nusquam alibi fecit.

¹⁴ W. S. Anderson, *Ill. Class. St.* 2 (1977), 261-74 monstrauit e codice Neapolitano ante haec folia amissa descriptum esse codicem Laurentianum 36.5, unde lectiones N¹ plerumque restitui possunt.

¹⁵ Imaginem f. 12^v praebet Magnus, ff. 86^v, 114^r, 118^r, 189^r Anderson, opusc. cit.

¹⁶ Manus librariorum correctorumque subtiliter distinxit Anderson, opusc. cit., licet ab eius iudicio in correctionibus describendis hic illic discrepem.

PRAEFATIO

U Vaticanus Vrbinas lat. 341, s. xi² in Italia meridionali scriptus, litteris ut uocantur Beneuentanis in modum Bariensem factis. Codicem duo librarii exarauerunt, quorum unus etiam scripsit codicem celeberrimum Iuuenalis (Oxon. Bodl. Canon. class. lat. 41) qui uersus xxxiv post *Sat.* 6. 365 solus praebet; ueri simile uidetur utrumque codicem apud coenobium Casinense s. xiii fuisse.¹⁷ Continet ff. 1^v–182^r *Met.* 1. 1–15. 879, sed manus prima post 15. 493 deficit; reliquum libri 15 necnon quasdam alias partes amissas suppleuerunt manus plures s. xiii, quas coniunctim ‘U³’ nomino. Materiam Lactantianam habet usque ad libri 13 finem. Heinsii fuit *Vrbinas ueterrimus*. Descr. Munari 370, Munk Olsen ii. 168; imaginem f. 51^v–52^r praebet Slater, 2.

S Spirensis deperditus praeter quaternionem unum qui hodie Hauniae conseruatur (Bibl. Reg. Ny kgl. S. 56 2^o), s. xi² uel ex. in Germania scriptus. Continet ff. 1^r–8^v *Met.* 9. 324–10. 707 cum narrationibus Lactantianis. Codicem iam s. xvii mutilum fuisse testatur N. Heinsius, qui usus est collatione a Luca Langermanno facta.¹⁸ Vbi codex ipse praesto est, siglum S adhibui; lectiones autem ex collatione Langermanni haustae sub siglo (S) laudantur. Descr. Munari 111 et 313, Munk Olsen ii. 141; imaginem f. 4^r praebet Slater post initium libri 10 narrationum.

B Parisinus lat. 8001, s. xii in Gallia scriptus. Continet ff. 1^r–16^v, 23^r–69^r *Met.* 1. 1–15. 879, quorum 1. 1–6. 590 ab una manu s. xii in., 6.

¹⁷ *Texts and Transmission*, 203 n. 22, ubi argumenta Francisci Newton breuiter memorantur.

¹⁸ Codex id temporis continebat 3. 506–4. 786, 6. 439–12. 278, ut patet ex notis Heinsii in margine libri nunc Oxonii (Bodl. Auct. 2 R. VI. 23) conseruati. Sed Heinsius lectiones non paucas uelut e Spirensi etiam in libro 1 laudauit, quae unde sumantur parum liquet.

PRAEFATIO

591 ad finem a duabus uel pluribus manibus s. xii² scripta sunt. Sed quamuis manus et aetas librariorum se mutant, textus tamen aequalem seruat tenorem, propterea quod totum codicem, exceptis nempe locis a posterioribus correctis, uno siglo B nominaui. Descr. Munari 240, Munk Olsen ii. 157. Heinsii fuit *codex Berneggerianus*.

F Marcianus Florentinus 223, s. xi² scriptus.¹⁹ Continet ff. 2^r–56^r *Met.* i. 1–15. 879; sequuntur *Nux*, *Medicamina*, et *Tristia* ab aliis manibus scripta. Ff. 2–3 (i. 1–445), 10–12 (3. 111–4. 39), et 14–15 (4. 261–701) olim amissa a manu Italica s. xv satis eleganti suppleta sunt. Descr. Munari 177, Munk Olsen ii. 135; *PCL* tab. xcvi; imaginem f. 4^r apud Magnum.

G Sangallensis 866, s. xii in coenobio Sangallensi scriptus. Continet ff. 1^v–55^r *Met.* i. 1–15. 879; deficit quaternio unus 8. 548–10. 428 continens. Descr. Munari 310 ('s. xiii'), Munk Olsen ii. 163–4 ('s. xii²'). G primus contuli; a prioribus praetermissus erat propter aetatem in repertoriis male aestimatam.

L Laurentianus 36.12, s. xi/xii fort. in Germania²⁰ scriptus. Continet ff. 1^r–72^v *Met.* i. 1–12. 298 necnon titulos Lactantianos a codicis rubricatore in margine additos. Heinsii fuit *Mediceus primus*. Descr. Munari 131, Munk Olsen ii. 134; imaginem praebet *PCL* tab. xcvi. 2.

P Vaticanus Pal. lat. 1669, s. xi² in Gallia ut uidetur scriptus et olim apud ecclesiam sancti Sulpii Bituricensem adseruatus. Continet ff. 1^r–63^r *Met.* i. 1–15. 879, sed in foliis 14–24 mutilis multa aut

¹⁹ De codicis origine ambigitur, quem Munari Galliae tribuit, Italiae Munk Olsen, uterque dubitanter; meo autem iudicio ne Germania quidem excludi potest.

²⁰ Secundum Munk Olsen ii. 134.

PRAEFATIO

desiderantur aut non leguntur.²¹ Heinsii fuit *primus Palatinus* uel *Palatinus ueterrimus*. Descr. Munari 365, Munk Olsen ii. 167.

T Monacensis clm 29208 (antea 29007, cui accedit cgm 4286), s. xi² in monasterio Tegernseensi scriptus. Frusta disiecta codicis olim integri uersuum circiter MM ex libris 1, 2, 4, 6, 13–15 continent.²² In partibus libri 1 et 2 conseruatis Tegernseensis codicis Harleiani 2610 (= H) plane est suboles (de quo u. supra, p. x); in libris posterioribus autem cum BFG plerumque facit, unde conicere possis Harleianum illo iam mutilum fuisse tempore quo codex Tegernseensis exscriptus sit.

Mon Lectiones nonnullae codicis cuiusdam deperditi elici possunt ex lemmatis commentarii in ff. 61^v–84^r codicis Monacensis latini 4610 (s. xi ex. uel xii in.) conseruati, quarum notabiliores idcirco relatu dignas putauit quia codex unde deriuantur fere aequalis fuit codicum MNU BFPT.²³

CODICES RECENTIORES

Ex ingenti codicum recentiorum examine nonnullos praecipue inspiciendos putauit. Quorum primo in loco tres nomino qui materiam Lactantianam quoquo modo conseruant.

R Neapolitanus Bibl. Nat. IV. F. 2, s. xii² in Italia ut uidetur scriptus. Continet ff. 1^r–114^v *Met.* 1. 1–15.

²¹ Indicem uersuum amissorum uel illegibilium composuit Anderson, praef., p. xiv; eos in apparatu indicare satis habui.

²² Quos uersus enumerauit Anderson, praef., p. xviii.

²³ Codicem primus scrutatus est C. Meiser, *Sitzungsberichte d. Königl. bayer. Akad. d. Wiss., philosophisch-philologisch- und historische Cl.* 1885, 47–89; u. etiam Munk Olsen ii. 176.

PRAEFATIO

863 cum titulis Lactantianis. Descr. Munari 205, Munk Olsen ii. 152.

W Vaticanus latinus 5859, anno 1275 uel paulo ante in Italia scriptus.²⁴ Continet ff. 1^r-174^v *Met.* 1. 1-15. 879 cum titulis et narrationibus Lactantianis. Descr. Munari 345; primus contulit constanterque in apparatu laudauit Anderson.²⁵

Z Vindobonensis Bibl. Nat. ser. nou. 12746, circa annum 1470 in Italia septentrionali, fortasse Mediolani, scriptus.²⁶ Continet ff. 1^r-236^v *Met.* 1. 1-15. 879 cum titulis et narrationibus Lactantianis. Descr. Munari 385.

Inter hos codices locum sibi fortasse uindicat codex nunc deperditus quem Nic. Heinsius Patauii apud ecclesiam S. Iohannis in Viridario uidit breuiterque descripsit; s. xii scriptus (ut censuit ille uir), continebat argumenta Lactantii omnia. Collatione Heinsii usus est Slater, qui codicem sub siglo J hic illic laudauit. Cf. Munari 281.

Quod ad ceteros codices attinet, hos elegi qui mihi aut temporis ratione aut bonitate lectionum aliis prae-stare sunt uisi.

a Laurentianus Acq. e doni 434, s. xii ex. uel potius xiii¹ in Gallia scriptus. Continet ff. 1^r-66^v *Met.* 2. 320-13. 484, amissis tredecim foliis quae 2. 761-3. 324, 4. 31-250, 9. 39-259, 9. 700-10. 121, 11. 265-374,

²⁴ Post finem libri 15 corrector quidam codicis, non ipse librarius, haec addidit: 'completus liber est annis in mille ducentis / et decies septem cum quinque sequentibus illis / quem scribi fecit qui solo nomine dictus / est Thomas iudex et arena nutriit ipsum.'

²⁵ Vaticano forma similis est cod. Berolinensis Diez B. Sant. 1, circa annum 1300 uel paulo post scriptus.

²⁶ Sic iudicauit Albinia de la Mare, scripturae ut dicitur humanisticae peritissima indagatrix.

PRAEFATIO

13. 238-453 continebant. Descr. Munari 139, Munk Olsen ii. 133.

b Oxoniensis Bodl. Auct. F. 4. 30, s. xii med. in Anglia ut uidetur scriptus. Continet ff. 1^r-72^r *Met.* 3. 75-15. 879, amissis 7. 604-8. 62, 8. 279-9. 578, 15. 8-117, 222-329, 765-872. Heinsii fuit *fragmentum Boxhornianum*. Descr. Munari 219, Munk Olsen ii. 153.

c Hauniensis Bibl. Reg. Gl. kgl. S. 2009 4^o, s. xii ex. scriptus. Continet ff. 1^r-109^r *Met.* 1. 1-15. 879. Descr. Munari 113.

d Parisinus lat. 8008, s. xiv in Gallia scriptus. Continet ff. 3^r-152^v *Met.* 1. 1-15. 879. Singulis fabulis apponuntur numeri cum numeris Lactantianis fere congruentes. Olim fuit Petri Danielis Aurelianensis; Heinsii fuit *Thuaneus primus* uel *optimus*. Descr. Munari 247.

e Erfurtensis Amplon. f. 1, s. xii² in Germania ut uidetur scriptus. Continet ff. 1^r-58^v *Met.* 1. 1-15. 879: manus prima 1. 1-11. 126, manus altera paene aequalis 11. 127-13. 437 exarauit; manus tertia ceteris paulo recentior 13. 438 ad finem scripsit et partes priores correxit, necnon lectiones uarias permultas addidit. Descr. Munari 81, Munk Olsen ii. 132.

f Francofurtanus Bibl. Ciu. et Uniu. Barth. 110, s. xii/xiii in Germania ut uidetur scriptus. Continet ff. 12^r-90^v *Met.* 1. 1-15. 879. Descr. Munari 95, Munk Olsen ii. 137.

g Graecensis Bibl. Uniu. 1415, s. xii ex. uel xiii in. fortasse in Italia scriptus. Continet ff. 1^r-170^v *Met.* 1. 1-15. 879.

h Hauniensis Bibl. Reg. Gl. kgl. S. 2008, s. xii ex. uel xiii in. in Italia scriptus. Continet ff. 4^r-156^r *Met.* 1. 1-15. 879. Descr. Munari 112, Munk Olsen ii. 140.

PRAEFATIO

k Londiniensis Bibl. Brit. King's 26, s. xii¹ in Italia scriptus. Continet ff. 4^r-138^v *Met.* 1. 1-15. 879, cum titulis Lactantianis in solo primo libro. Descr. Munari 172 ('s. xi'), Munk Olsen ii. 146.

l Lucensis Bibl. Gov. 1417, s. xii¹ uel med. in Italia ut uidetur scriptus. Continet ff. 1^r-98^r *Met.* 1. 1-15. 879; desunt folia quae 4. 113-6. 298 et 8. 684-9. 6 continebant. Descr. Munari 176, Munk Olsen ii. 146.

l₂ Lipsiensis B. Civ. 45, s. xii med. scriptus. Continet ff. 1^r-41^v *Met.* 2. 343-12. 288. Descr. Munari 150 ('s. xiii').

l₃ Laurentianus 36.10, s. xii ex. scriptus. Continet ff. 1^r-129^v *Met.* 1. 1-15. 879; ff. 1-8 quae 1. 1-2. 61 praebent (amissis duobus foliis quae 1. 324-495 continebant) et f. 129 *Met.* 15. 798-879 continens saec. xv suppleta sunt. Descr. Munari 129. Heinsii fuit *tertius Mediceus*.

l₄ Laurentianus 36.14, s. xii ex. in Gallia scriptus. Continet ff. 2^r-116^r *Met.* 1. 120-15. 879. Descr. Munari 133, Munk Olsen ii. 134. Heinsii fuit *quartus Mediceus*.

l₅ Lausannensis Bibl. Cant. et Uniu. 403, s. xii ex. in Gallia ut uidetur scriptus. Continet ff. 1^r-113^v *Met.* 2. 52-3. 466, 3. 651-14. 43, 14. 414-15. 668. Descr. Munari (*Supplemento*) 392, Munk Olsen ii. 141.

l₆ Londiniensis Bibl. Brit. Harl. 2737, s. xii ex. in Germania ut uidetur scriptus. Continet ff. 1^r-103^r *Met.* 1. 1-15. 879, amissis foliis quae 2. 484-712 et 9. 609-722 continebant. Descr. Munari 168, Munk Olsen ii. 145.

o Leidensis Voss. lat. O. 51, s. xii² in Gallia scriptus. Continet ff. 1^r-148^r *Met.* 1. 1-15. 879, amisso

PRAEFATIO

folio quod 1. 643-722 continebat. Descr. Munari 148, Munk Olsen ii. 142. Heinsii fuit *codex Arondelianus*.

p Heidelbergensis Pal. lat. 1661, s. xii/xiii in Gallia uel Germania scriptus. Continet ff. 1^r-116^v *Met.* 1. 1-15. 631, amissis foliis quae 3. 600-98, 4. 63-158, 362-464, 567-668 continebant.²⁷ Descr. Munari 115, Munk Olsen ii. 138-9. Heinsii fuit *secundus Palatinus*.

p₂ Parisinus lat. 8000, s. xii ex. in Gallia ut uidetur scriptus. Continet ff. 2^r-151^r *Met.* 1. 81-15. 879. Descr. Munari 239, Munk Olsen ii. 157. Heinsii fuit *primus Regius*.

r Vaticanus lat. 11457, s. xii² in Germania ut uidetur scriptus. Continet ff. 3^r-135^r *Met.* 1. 1-15. 879. Descr. Munk Olsen ii. 171.

s Laurentianus Strozianus 121, s. xii² in Italia scriptus. Continet ff. 5^r-139^v *Met.* 1. 1-15. 879, amisso folio quod 10. 701-11. 49 continebat. Descr. Munari 141, Munk Olsen ii. 136-7.

v Vaticanus lat. 1593, s. xii/xiii in Italia scriptus. Continet ff. 1^r-146^v *Met.* 1. 1-15. 879, amissis duobus foliis quae 8. 822-9. 11 et 9. 327-403 continebant. Descr. Munari 334, Munk Olsen ii. 169, E. Pellegrin et al., *Manuscrits classiques latins de la Bibliothèque Vaticane*, iii/1 (Lutetiae Parisiorum, 1991), 175-8. Heinsii fuit *primus Vaticanus*.

v₂ Vaticanus Ottob. lat. 3313, codex Vergilii s. xi in Italia scriptus, in cuius marginibus librarius s. xii² libros Metamorphoseon addidit supra priorem eiusdem carminis textum erasum. Continebat ff. 9^v-63^v *Met.* 1. 1-7. 865, sed uersuum 7. 581-789 et 837-865 maxima

²⁷ De foliis amissis maleque ordinatis u. Andersonem, praef., pp. xvii s.

PRAEFATIO

pars aut abscissa aut erasa est; ff. 63^v–69^r autem, sicut ipse iudico, exstant uestigia quaedam prioris Ouidii textus (s. xiiⁱ, ut uid.), quorum tantum 6. 167–209 (f. 64^r) et 255–99 (f. 65^r) legi possunt. Descr. Munari 361, Munk Olsen ii. 166–7, E. Pellegrin et al., *Manuscripts classiques latins de la Bibliothèque Vaticane*, i (Lutetiae Parisiorum, 1975), 832–4.

v₃ Romanus Bibl. Vallicelliana F.25, s. xii² in Italia scriptus. Continet folia duodeuiginti (ff. 117–34) male ordinata in quibus insunt uersus circiter MDCLXXX ex diuersis libris. Fuit Heinsii *excerpta* uel *schedae* uel *fragmentum Theatinorum*, ut monstraui Anderson.²⁸ Descr. Munari, *Studia Florentina*, 280 ('saec. XIV'), Munk Olsen ii. 161–2.

w Guelferbytanus Bibl. Duc. 2942, s. xii/xiii in Germania scriptus, haud scio an in monasterio S. Michaelis Hildesheimensi. Continet ff. 141^r–199^v *Met.* i. 1–15. 879. Descr. Munari 104, Munk Olsen ii. 173.

z Turicensis Bibl. Centr. Rhenouanus 46, s. xii med./xii² in Germania uel Heluetia scriptus. Continet pp. 3–91 *Met.* i. 1–10. 739, 12. 556–13. 753. Descr. Munari 329, Munk Olsen ii. 174.

Codices praeter hos qui hic illic tantum laudantur nominatim citauimus.

Plan Pauca dicenda sunt de interpretatione Graeca Maximi Planudis, anno circiter MCCC e codice Latino nunc deperdito facta.²⁹ Planudes exemplar suum tam

²⁸ *CQ*, n.s. 26 (1976), 113–14. Codex re uera pertinebat (et adhuc pertinet) ad Patres Oratorios, ut Heinsius in collationibus recte adnotauerat.

²⁹ Edidit J.-F. Boissonade (Lutetiae Parisiorum, 1822), mox de nouo editurus est M. Papathomopoulos. De Planude Ouidii interprete

PRAEFATIO

fideliter uertit ut lectiones codicis quo usus erat magnam partem restitui possent; itaque ante codices s. xii subtilius exploratos lectiones uerae haud paucae primum ab illo conseruari uidebantur. Nunc autem interpretatio Planudea multo minoris momenti habetur, quamquam formas nominum Graecorum nimirum rectius quam codices Latini repraesentat.

DE CODICVM NECESSITVDINIBVS

De codicibus antiquioribus

Quod A. E. Housman lepide dixit de Lucani codicibus, eos non in familias congregari, sed factiones,³⁰ non ita de Metamorphoseon libris contenderim. Codices enim antiquiores in duas classes uel familias diuiduntur, quarum una (quam Δ nomino) amplectitur codices primarios MNU, quibus accedunt fragmentum Vrbinas (Urb) codicesque mutili EHS necnon codices recentiores RWZ.

Inter errores communes codicibus MNUEHSUrb uel eorum pluribus sunt hi:

1. 304-5 fuluos . . . tigres om. $HM^{ac}(N^{ac})$
1. 389 datae] deae $HM(N^{ac})(U^{ac})$
1. 426-7 modo . . . quaedam om. $H^{ac}M^{ac}N^{ac}$
2. 378 credit] trahit $HMN(+L^v)$
2. 513 adsim] absim $HM(N^{ac})$
2. 669 herbas] -is H^IcMNU
2. 756 creatam] -um $HM^{ac}(N^{ac})$
3. 29 ac uimine] a culm- $HE^{ac}M^I(N^{ac})U$
3. 175 om. $E^{ac}M^{ac}N^{ac}$
3. 374 admotas . . . flammas] -a . . . -a ($E^{ac})M^{ac}$ et fere H

u. P. E. Easterling et E. J. Kenney, *Ovidiana Graeca* (PCPS Suppl. 1; Cantabrigiae, 1965), Elizabeth A. Fisher, *Planudes' Greek Translation of Ovid's Metamorphoses* (Novi Eboraci et Londini, 1990).

³⁰ Ed. Lucani *Belli ciuilis* (Oxonii, 1926), p. vii.

PRAEFATIO

3. 374 rapiunt] rapuit HEM
3. 456 quam] quem EM(N^{ac}) : quæm H
4. 227 om. M^{ac}N^{ac}(S)
4. 358 pugnantemque tenet] -ntesque manus EM(N^{ac})
luctantiaque] inuitaque EM(N^{ac})(S)
5. 151 impugnante] -nare E^{ac}MⁱN^{ac}U
5. 181 miracula] oracula Eⁱ(M^{ac})NU
5. 301 turbam] poenam E^{ac}Mⁱ(N^{ac})(U^{ac})
5. 318 sorte] forte E^{ac}(M^{ac})(N^{ac})(U^{ac})
5. 370-1 ipsumque . . . cessant] uarie turbatum in
EMNU
5. 607 usque] utque UrbⁱEM^{ac}N^{ac}
5. 662 cantus]-um UrbE(M^{ac})(N^{ac})(U^{ac})
5. 670 conataeque]-ntesque UrbⁱE^{ac}M^{ac}NU
loqui] oculis UrbⁱE^{ac}(M^{ac})N^{ac}
6. 167 decoro] -os E^{ac}M^{ac}N^{ac}U
8. 7 praetemptatque] praetereaue Urb^{ac}M^{ac}(N^{ac})
8. 569 alios] alii MNU
8. 572 epulis mensas]-as-is M^{ac}N^{ac}(S)
9. 452 praestantia corpora M^{ac}(N^{ac})S
9. 539 possent]-unt MNS
9. 626 om. M^{ac}N^{ac}S^{ac}
9. 652 illam] etiam MNS
9. 684 sua] suo MNS
10. 10 talum] lato (M^{ac})S
10. 21 nec uti] ueluti MN^{ac}S
10. 89-90 om. M^{ac}N^{ac}S^{ac}
11. 8 uocalia . . . in ora]-i . . . in ore M^{ac}N^{ac}(S)
11. 359 mari] maris M^{ac}N^{ac}U^{ac}
11. 673 manus] manu MN^{ac}SU
12. 333-4 minorem . . . dederunt] inu. ord. MN^{ac}U
(332 in MN^{ac} omisso)
14. 131 neu] ne MNU

Noli mirari quosdam errores leuioris momenti hic
adscribi; saepe enim fit, cum de codicibus ut uocantur

PRAEFATIO

contaminatis agatur, ut tales lectiones integrae maneant, notabiliores uero per correctionem tollantur. Quid? Hi ipsi quos numeraui errores magnam partem a correctoribus cito sunt emendati.

Quidam huius familiae testes artioribus adfinitatibus inter se colligantur. E quidem et M erroribus mirifice congruunt, sic ut quasi gemelli esse uideantur; ex quo apparet M, quamuis iuniorem, lectiones stirpis suae plerumque fideliter conseruasse. H non est ita proximus, sed praeter errores quosdam communes interdum cum M uel MN consentit in uersibus omittendis, id quod non facile interpreteris nisi inter MN et H cognationem quandam agnoscas.³¹ Codices porro N et U, ambo litteris Beneuentanis scriptos, ex fonte quodam communi esse deriuatos demonstrant errores quales sunt:

- 5.385 moenibus] montibus
- 7. 408 Echidnaeae] Lethei
- 7. 611 uagantur] feruntur
- 8. 14 uocalibus] regalibus

Sed de U u. etiam infra, p. xxiv.

Codicum recentiorum paucissimi classi Δ assignari possunt, inter quos nominandus est W ab Andersone primum allatus, quibus ego R et Z adiunxi. Hi omnes multis in locis pro lectionibus classis Δ lectiones ex aliis fontibus petitas substituerunt, propter quod classem Δ parum fideliter repraesentant.³²

Altera autem classis continet codices integros BFGLP et partes illas librorum 4-15 in codice T superstites. Quam manum siglo Σ denomino.

³¹ Vide 1. 304-5, 426-7, 477 (fort. recte), 2. 147 (fort. recte).

³² Horum similes sunt Monacensis clm 23612 (s. xii ex., *Met.* 10. 283-14. 747 continens) a Magno sub siglo m collatus et forte codex deperditus Patauinus ab Heinsio carptim laudatus (= J).

PRAEFATIO

Inter errores classis Σ sunt hi:

1. 317 superantque cacumina] -atque -ine (+HU^c)
1. 591 altorum] aut horum
2. 497 fere . . . actis] ferens . . . annos (+U¹)
2. 518 quisquam] cur quis (+U, quisque L)
2. 736 ut] et (+U)
2. 757 lemnicolae] lemniacam (+N^{2c}U)
2. 863 iam] a (+HU)
3. 76 auras] herbas (+M^{2v}U^{2v})
3. 420 sua] ceu
4. 614 at] et (-F⁴)
4. 797 referret] -ent
5. 59 laudatos] foed- (+M^{2v}U)
5. 246 laudem] -es
6. 142 est] om.
7. 211 impatiens] haud p-
7. 299 est] om.
7. 361 tumultatus . . . est] tumultatur
8. 727 innixus] nixus
9. 624 urget et urit] urit et ussit
10. 582 ignes] -em
10. 590 miratur] -tor
10. 663 e] a
11. 358 neque] nec
12. 545 di] quoque³³
13. 77 in] ad
13. 184 erant] sunt
13. 790 pratis] prato
13. 846 rigidis] duris
13. 929 neque] nec
13. 937 mutare] mot-
14. 355 ait] tamen (+U)
14. 476 agris] Argis

³³ *Di!* gessit Heinsius (*digessit* M(N^{ac2}), *gessit* U¹) : *quoque* gessit Σ .

PRAEFATIO

Haec classis subtilius diuidi non potest, nisi quod BG artiore quodam uinculo inter se copulari uidentur, sicut simili modo FL.

Proprium quendam locum sibi uindicant P et U, quippe qui errores permultos propriae familiae euitent inque lectionibus sescentis a classibus $\Delta\Sigma$ alienis consentiant. Quarum cum constet multas meras esse interpolationes, aliae non paucae pro genuinis sunt habendae. (In sequenti indice praecedit lectio U P.)

1. 390 inde (+S) F^{4c} , Priscianus] hinc
2. 658 praecluditur (U^{2v})] -uertitur
5. 421 hortatus] -tur
6. 49 ictu (fort. recte)] ortu
7. 250 seniles] -i (fort. recte)
7. 417 fecundique (+ M^cN^{2c})] -asque
7. 520 morer uos (+ $N^cB^{2v}F^{3c}$)] moreris
7. 731 tristi (+ M^c)] tristis
8. 206 nec] neu
8. 749-50 tantum . . . quantum (+ $M^{2c}N^c$)] -o . . . -o
9. 17 dominum (+ $M^{2m}F^2$)] numen, regem
9. 325 dolentem] loqu-
10. 50 heros] Orpheus (fort. recte)
10. 182 actusque (+ M^{2m})] artusque, artisque
10. 559 uerbis (+ B^vF^{2v})] labris
10. 590 ipse (+ B^m)] ille
12. 98 excutit] excipit

Haud facile autem tibi persuadeas alterum ab altero has lectiones esse adeptum; unde colligere debemus utriusque librarium exemplar suum alio quodam fonte contaminasse. Textus qualem praebet P in multis s. xii codicibus diffusus uulgatum textum exeuntis Medii Aevi formauit.

PRAEFATIO

De fragmentis s. ix

Neque Bernense neque Lipsiense classi Δ aut Σ per errores communes assignari potest, nec ipsa fragmenta talibus erroribus inter se coniunguntur; unde colligitur utrumque exemplari suo antiquo ortum esse.

Quae fragmenta, quamuis uersus haud multos conseruent, maximi tamen sunt momenti ad textus traditionem intellegendam. Nam Bernense solum aut fere solum lectiones multas notabiles praebet, quarum plures pro ueris ab editoribus habentur. Inter quos sunt hi: 1. 14 *Amphitrite* (-tes uel -des), 50 *utrumque* (-amque), 56 *fulgora* (fri-), 69 *dissaeperat* (discerps-), 82 *pluuialibus* (fl-), 134 *exsultauere* (ins-), 173 *hac parte* (hac fronte, a fr-), 2. 19 *accliui* (-uo), 3. 17 *passu* (gressu), 33 *uenenis* (-no), 39 *urnae* (undae), 49 *funesti* (-ta).

Fragmentum autem Lipsiense fabulam tantum Actaeonis continens textum emendatiorem quam ullus ex codicibus antiquioribus praebet, quo manifestum est hanc fabulam ex codice quodam optimae notae, uel exeuntis antiquitatis uel incipientis saeculi noni, esse sumptam.

Textus quem praebet Fragmentum Parisinum non est aequae notabilis—unam tantum lectionem ueram solum inter antiquiores conseruat, scilicet 2. 153 *et Eous*—sed in illo fragmento magis memorabile est hic illic duplices lectiones inueniri, sicut 2. 157 *mundi/caeli*, 179 *iacentes/patentes*. Ex quo ueri simillimum uidetur tales lectiones uarias et alibi in codicibus s. ix nunc deperditis iam esse insertas.

Non semel accidit ut lectio quae inter testes antiquiores in solo Bernensi uel Lipsiensi uel Parisino reperiatur etiam apud recentiores quosdam seruetur.³⁴

³⁴ De pluribus exemplis haec elegi: 1. 50 *utrumque* (Bern + o^v χ), 2. 19 *accliui* (Bern + W), 153 *et Eous* (Par + χ), 3. 149 *fortunaque* (Lips + ϕ), 152 *meta* (Lips + ς); nota praeterea 8. 103 *impelli* Urb^v + χ : *impleri* Ω .

PRAEFATIO

Vnde liquet lectiones quae ex codicibus antiquioribus plane exciderint in codicibus recentioribus conseruari posse, neque dubitari potest quin tales lectiones, si fragmenta uetustissima abessent, pro recentioribus haberentur et idcirco minoris esse pretii ducerentur.

De 'Lactantio'

Praeter Ouidii textum fragmenta saec. ix exhibent aut fabulae uniuscuiusque titulum (sic Lips) aut titulorum seriem ad libri caput positam (sic Bern) aut fabularum breuiaria soluta oratione scripta (sic Par, quod et titulos habet).³⁵ Hanc narrationum supellectilem sine nomine traditam 'Lactantianam' solent appellare editores, quasi a Lactantio Placido Statii interprete esset composita, quod nullo modo probari potest. Constat solum fabularum narrationes s. iv uel s. v esse scriptas, quod patet ex numero in sententiis concludendis seruato.³⁶ Materiam Lactantianam plenam praebent codices classis Δ (praesertim MNU), propter quod haec familia 'Lactantiana' a criticis interdum nuncupatur; ueri similis autem, ut fragmenta docent, hanc materiam omnibus exemplaribus quae in Medium Aeuum uenerint aliquo modo infuisse.


DE CODICVM VT APPELLATVR STEMMATE

Codicum praestantiorum necessitudines sic graphice depingere licet:

³⁵ Narrationum textum praebuerunt et Magnus et Slater.

³⁶ Vide quae alibi disputauimus: 'The Narrationes of "Lactantius" and the Transmission of Ovid's *Metamorphoses*', in O. Pecere et M. D. Reeve (edd.), *Formative Stages of Classical Traditions: Latin Texts from Antiquity to the Renaissance* (Spoleti, 1995), 83–115. Syllogem narrationum ualde similem, Scholia uidelicet Florentina in Callimachi *Aetia*, mihi beneuole indicat Alanus Cameron, qui mox libellum de narrationibus Ouidianis publici iuris facturus est.

PRAEFATIO



Sed noli, quaeso, sperare lectiones archetypi cuiusdam omnium codicum hoc stemmate posse restitui. Nam res longe aliter se habet, praesertim quia codices antiquiores ita inter se coniuncti atque implicati sunt ut saepe sit difficile ex eorum consensu uel dissensu lectionem classis uniuscuiusque dispicere. Vnde sequitur ut, ubicumque codices inter se discrepant alique alias lectiones praebent, ipsae lectiones sint ponderandae, non codices.

II. *De editionibus praecedentibus*

Metamorphoseon libri anno MCCCCLXXI bis typis sunt impressi, Bononiae a Francisco Puteolano et Romae, curantibus C. Sweynheym et I. Pannartz, ab Aleriensi episcopo Ioanne Andrea de Buxis.³⁷ Paulo post Ioannes Bonus Accursius primus narrationes ut uocantur Lactantii textui Ouidiano inseruit et Raphael Regius carmen commentario perpetuo illustravit.³⁸ Editoribus

³⁷ Hic dixit se textum paucis mensibus recognouisse, inter maiora Ciceronis orationum opera quasi ludentem. Hanc et alias editiones ante annum MD impressas subtiliter uestigauit G. Steiner, *TAPhA* 82 (1951), 219-31, 83 (1952), 312-18.

³⁸ Mediolani 1475 (Accursius), Venetiis 1493 (Regius).

PRAEFATIO

tum moris erat adhibere codicem nescioquem recentiorem uel recentissimum qui forte praesto erat, sed casu quodam felici et Ioannes Andreas et Accursius usi sunt aut ipso codice M aut ei simillimo.³⁹ Anno MDXVII editionem Aldinam emisit Andreas Naugerius, qui in textu constituendo iudicium haud spernendum primus adhibuit multosque errores sustulit. Sub eiusdem saeculi finem Hercules Ciofanus, uir diligentior quam acutior, primus codices complures, maximam partem Romanos, in notis criticis citauit.

Mediis demum saeculi xvii annis Metamorphoseon libri sospitatore diu exspectatum inuenerunt, Nicolaum dico Heinsium, qui editionem notis luculentis ornatam Amstelodami anno MDCLII et iteratis curis MDCLIX publici iuris fecit. Dubitari potest utrum in illo magis sit mirandum, quod litteras Latinas tam profunde animo imbiberat ut librariorum errores acutissime deprehenderet et incredibili felicitate corrigeret, an quod codices plus centum adiit contulit perpendit et mirabili quadam sagacitate codicis uniuscuiusque aetatem atque naturam rectissime aestimauit. Quid plura? E duodecim codicibus antiquioribus quos supra memorauimus (EHMNSU BFGLPT) Heinsius septem, uidelicet MNSU BLP, contulit citauitque.

Vix est aegre ferendum quod, moribus sui temporis criticis obtemperans, textum traditum (immo patris sui Danielis) plurimis locis emendauit sed non, ut hodie solent editores, codices ipsos recensuit ut ex eorum testimonio textum denuo constitueret. Nec mirum est Heinsium, quamuis in notis impressis codices complures saepissime nominatim adduxerit, apparatus criticum qualem nunc requiramus numquam instruxisse.⁴⁰ Tanta est Heinsii apud editores auctoritas ut eis

³⁹ Magnus, praef., pp. xxvi s.

⁴⁰ De studiis Heinsii Ouidianis u. E. J. Kenney, *The Classical Text*

PRAEFATIO

etiamnunc religio est lectiones quas ille praetulit uel maluit, ubicumque ab illo discrepant, diligenter adnotare.

Etiam de Ouidio bene meritus est Petrus Burmannus senior, qui editionem ualde utilem cum notis coniecturisque uariorum anno MDCCXXVII emisit. In textu constituendo Heinsii uestigia plerumque premens aliqua sua Burmannus adiecit nec non de collationibus Heinsii ineditis non pauca deprompsit.

Post Heinsii Burmannique labores studia haec plus uno saeculo paene obdormiuerunt, donec mediis saeculi XIX annis critici nouam quandam textus constituendi uiam ingredi coeperunt. Placuit quidem codices paucissimos uetustos et sinceros perquirere eorumque adfinitates diligenter indagare, ceteris tamquam 'deterioribus' neglectis uel spreto. Sed quia notitia codicum antiquiorum quibus usus erat Heinsius omnino exoleuerat, ei ab editoribus denuo erant reperiendi. Sic Rudolphus Merkel in editione Teubneriana primum anno MDCCCLV emissa codices M et L in lucem reduxit, quibus A. Riese N addidit in editione Tauchnitziana quam iteratis curis anno MDCCCLXXXIX emisit. Huc accesserunt alia subsidia, praesertim codices mutili EH et fragmenta ueterrima (Bern Lips Par Urb), quae inter annos MDCCCL et MCM reperta erant et uestigata.

Editores huius temporis recte fecerunt quod multas lectiones codicum recentiorum speciosas eiecerunt quae in editiones priores ante codices antiquiores satis exploratos inreperant. Sed cum Heinsii Burmannique textum uulgatum plane abiudicarent et codices qui 'optimi' praedicabantur extollerent, saepe accidit ut

(Berkeleiae, 1974), 57–63, et quae disputaui in P. R. Hardie, A. Barchiesi, S. Hinds (edd.), *Ovidian Transformations* (Cantabrigiae, 1999), 286–300.

PRAEFATIO

lectiones etiam bonas quae in codicibus solis recentioribus adseruantur exulare iusserint.⁴¹

Anno orbi terrarum infelici MCMXIV Hugo Magnus editionem diu meditatam genuit in qua fructum studiorum per XL annos gestorum collegit. Nam praeter fragmenta ueterrima lectiones erroresque codicum MN FL religiosissime descripsit nec minorem curam codicibus s. xii e h p citandis adhibuit. Quid? Etiam lectiones plurimas librorum impressorum s. xv et s. xvi laudauit. His copiis usus Magnus apparatus criticum construxit abundantem sane, sed saepe, ut durius loquar, fallacem. Nam quia codicum quorundam antiquiorum (inter quos BPU) erat adhuc ignarus, non potuit quin lectiones sescentas 'recentioribus' ascriberet quae re uera aequo pede cum lectionibus codicum MN FL congredi possunt. Magno etiam obfuit quod, nimio amore familiae Δ (quam O uocauit) inductus, lectiones codicum MN pluris aequo, aliorum codicum minoris aestimauit.

Primis s. xx annis multum textui constituendo attulit D. A. Slater Cantabrigiensis, qui dum editionem parabat quae in hac Bibliotheca proditura erat Heinsii collationes Oxonii in Bibliotheca Bodleiana adseruatas primus repperit uulgauitque, per quas codices primarios BPU uestigare eque tenebris extrahere potuit. Copiis Heinsianis idem nixus multas codicum recentiorum lectiones recuperauit, quas haud raro lectionibus codicum antiquiorum recte praeposuit. Coniecturas quasdam satis audaces etiam excogitauit inque textum admissurus erat. Sed cum post tantos labores materiam suam in sollemnem apparatus critici formam coartare noluerit, apparatus plenum cum praefatione doctissima simulque narra-

⁴¹ Vide G. Luck, *AJP* 103 (1982), 47-8.

PRAEFATIO

tionum Lactantianarum textum anno MCMXXVII emisit.⁴²

Simili modo alii se ad textum edendum accincti opus incohatum reliquerunt, quorum labores uiam posterioribus muniuerunt. Nam B. Otis et R. Bruère, discipuli Edwardi Rand Haruardiani, post studia (docta, Iuppiter, et laboriosa!) in quibus stemma quoddam codicum elaborauerunt textum denuo constituere sibi proposuerunt; et F. Munari editionem Oxoniensem aggressus inceptum omisit post codicum catalogum confectum.

Nec praetereundi sunt uu. dd. qui Slateri exemplum persequentes collationes reliquas Heinsii indagauerunt multosque codices quibus usus erat nominauerunt; inter quos locum egregium F. W. Lenz, F. Munari, M. D. Reeve sibi uindicauerunt.⁴³

Praecipuo denique honore inter recentis aevi editores nominandus est W. S. Anderson Berkeleianus, qui post commentarium in libros 6–10 anno MCMLXXII publici iuris factum editionem nouam Teubnerianam incohausit et breuissimo hercule tempore confecit.⁴⁴ In qua editione lectiones codicum praestantiorum tandem uno obtutu potuerunt perlustrari; nam praeter fragmenta uetustissima Anderson MNU et BFLP contulit, quibus et W adiecit; nec non codices recentiores quosdam, praesertim e h p v, saepe adhibuit, alios praeterea hic illic laudauit. In textu constituendo Anderson lectiones codicum antiquiorum aequo iudicio aestimauit, lectiones autem codicum recentiorum uirorumque doctorum coniecturas parcius admisit. Quamuis ab

⁴² Lemmata in Slateri apparatu Riesii editionem alteram Tauchnitzianam spectant.

⁴³ V. praesertim M. D. Reeve, 'Heinsius' Manuscripts of Ovid', *RhM*, n.s. 117 (1974), 133–66 et 119 (1976), 65–78.

⁴⁴ Iudicium meum de hac editione alibi feci, u. *CPh* 77 (1982), 342–60.

PRAEFATIO

illo multis in locis dissenserim, si ullum progressum in codicibus explorandis aut in textu constituendo feci, libenter fateor me Andersonis exemplo multum debere.

III. *De ratione huius editionis*

Ex iis quae supra memoraui apparet textum ἐκλεκτικῶς constituendum esse. Neutra enim codicum classis tanta pollet auctoritate ut eius lectiones constanter praeferri mereantur, nedum codices singuli. Codicum autem recentiorum lectiones saepius quam priores citavi, plures uero in apparatu laudandas quam in textum admittendas habui; nam hae lectiones, ut non sint temere respuendae, non tamen sunt temere recipiendae.⁴⁵ Neque me fallit quam difficile sit 'inter utrumque uolare', ut Icarum monuit pater. Quid? Ne Heinsius ille quidem, criticorum Ouidianorum facile princeps, temperare potuit quin amplectaretur lectiones codicum recentiorum permultas quae plus leporis quam ueritatis prae se ferebant.

In coniecturis aliorum tum in textum cum in notas criticas admittendis aliquanto me liberalius quam priores gessi. Coniecturas autem proprias nonnisi raro in textum admisi, saepius in apparatu laudaui. Monendum est etiam lectiones haud paucas quae olim pro coniecturis recentis aevi haberentur nunc in uno pluribusue codicibus saec. xii aut xiii scimus inueniri.

In lectionibus codicum perpendendis non raro fit ut inter duas lectiones prope aequae probabiles sit iudicandum; quod ita feci ut scrupulos qui mihi restabant

⁴⁵ Multas eiusmodi lectiones conguessit J. B. Hall, *PACA* 15 (1980), 65–6, qui Andersonem obiurgauit quod eas iniuste praetermiserit. Quarum ego cum aliquas receperim uel laudauerim, plures tamen omisi tamquam a uiris doctis ss. xii et xiii interpolatas.

PRAEFATIO

non dissimulauerim, uoce qualis est 'fort. recte' in apparatu saepius usurpata.

Sed satis sint haec pauca in uniuersum dicta; nunc de quaestionibus quibusdam specialiter est disserendum.

DE VERSIBVS INTERPOLATIS

Metamorphoseon librorum codices uersus nonnullos praebent quos ob uerborum usum insolitum uel ob alias causas interpolatos esse suspicari par est. (Quod non raro accidit etiam in Ouidii Heroidum Epistulis et i.a. in Iuuenalis Saturis Senecaeque Tragoediis.) Neque est quod putes falsarios quosdam hoc enisos esse ut uersus suppositicii pro genuinis agnoscerentur. Propius est uero temporibus antiquis lectores Ouidii hos uersus imitationis uel aemulationis gratia excogitasse, qui postea in marginibus codicum adscripti a librariis Medii Aeuī pro uersibus iniuste omissis sunt interpretati.⁴⁶

Inter multa Nicolai Heinsii merita non equidem haec fuit ultima laus, uersus spurios deprehendere proferre expellere. Tum saeculi xix mediis et ultimis annis, quando editoribus moris erat diffidere libris manuscriptis et uersus interpolatos undique indagare, Rudolphus Merkel eo suspicionis (uel potius audaciae) progressus est ut uersus plus quam CCL e textu euelleret. Recentioris aeuī editores ab hoc immoderationis exemplo recte abhorruerunt, sed ne nimis suspicaces uiderentur se timidissime gesserunt, quippe qui nulum fere uersum pro interpolato habuerint qui in omnibus codicibus inuenitur. In hac re mediam quandam consilii uiam capere sum conatus. Nam uersus

⁴⁶ De hoc interpolationis genere alibi disputaui, u. 'The Reader As Author: Collaborative Interpolation in Latin Poetry', in J. N. Grant (ed.), *Editing Greek and Latin Texts* (Noui Eboraci, 1989), 121-62.

PRAEFATIO

quosdam ab Heinsio aliisque iam suspectos et ego pro spuriiis habeo, aliosque mea fiducia meoque periculo primus eieci; sed in ea opinione non sum ut putem in carminis textu uersus plurimos ab interpolatoribus esse interscriptos.⁴⁷ Quod ad locos singulos pertinet, quo in uitio offensus sim saepe aliis locis exposui.⁴⁸

DE DVPLICI QVAE VOCATVR RECENSIONE

In quibusdam locis codices antiquiores aut omnes aut complures duas textus formas praebent quae eundem fere sensum exprimere uidentur. Sunt autem hi: 1. 544 sqq., 4. 767a-8, 6. 281-2, 7. 145-6, 8. 285-6, 597-600b, 603-8, 652 sqq., 693a-b, 697a-b, 11. 57-57a, 12. 192.

Non est cur dubitemus Ouidium tamquam poetam diligentem carmen suum constanter expoliuisse, neque a uero abhorret binas locorum quorundam formas in exemplaribus ad Ouidi amicos missis adhuc infuisse. Sed aliud est credere duplices aliquot lectiones ab ipso Ouidio profectas olim extitisse, longe aliud eas in codicibus plus M annis post exaratis fideliter esse seruatas. Quod si Ouidius re uera binas singulorum contextuum formas elaborauit, expectes utramque nitorem illum et uerborum cultum uere Ouidianum ostendere; sed mihi locos ipsos inspicienti non ita res uisa est.⁴⁹ Itaque Hugonem Magnum secutus unam

⁴⁷ Inter priores qui hanc quaestionem tractauerunt u. imprimis S. Mendner, *Der Text der Metamorphosen Ovids* (diss. Coloniae, 1939) et I. Marahrens, *Angefochtene Verse und Versgruppen in den Metamorphosen* (diss. Heidelbergae, 1971); ille uersus plurimos pro interpolatis habuit, haec contra paucissimos. Nuperrime autem Otto Zwierlein contendit carmina cum Vergilii tum Ouidii imperante Tiberio a rhetore Iulio Montano latissime retractata esse et sic nobis esse tradita: *Die Ovid- und Vergil-Revision in Tiberischer Zeit* (Berolini et Noui Eboraci, 1999). Cui sic disserenti adstipulari uix possum.

⁴⁸ V. commentationum indicem (infra, pp. xlii-xliii).

⁴⁹ Sententiam in alteram partem tulerunt K. Dursteler, *Die Doppel-*

PRAEFATIO

solam textus formam tamquam genuinam agnoui, alteram pro interpolata seclusi. In uno autem loco quid facerem multum haesi, 8. 655 sqq. dico, neque hic mihi persuadere potui formam textus pleniorē ab interpolatore quodam esse confectam. De hoc loco aliisque perplexis spero me mox fusius disputaturum.

Si causas interpolationis quaeris, duae in mentem ueniunt, scilicet ut mentio fiat rerum alibi notarum sed ab Ouidio omissarum (sicut 1. 544 sqq.⁵⁰) uel ut narratio uberior eueniat et commotior (sicut 8. 597–600b et 603–8). Illud autem memorabile uidetur, plures in una de Baucide et Philemone fabula inueniri, quod facilius intellegas si putes huius fabulae imprimis dilectae leporem lectores ad aemulationem inuitasse.

DE APPARATV CRITICO

Cum ad textum constituendum permulti testes sint uocandi, haudquaquam est facile apparatus breuem sicut postulant leges huius Bibliothecae instruere. Quamobrem ne apparatus meus ingenti mole opprimeretur lectionum, multa quae mihi leuioris esse momenti sunt uisa praetermisi. Vbicumque de textu dubitari potest, lectiones codicum antiquiorum omnes exhibui, etiamque cum codices antiquiores inter se grauiter discrepant; sed nullius ponderis errores qui in uno uel etiam pluribus codicibus antiquioribus inueniuntur plerumque omisi. Codices recentiores nonnisi cum lectiones ueras uel probabiles primi testarentur laudaui.

fassungen in Ovids Metamorphosen (Hamburgi, 1940), et R. Lamacchia, *Rend. Acc. Linc.*, ser. 8, 11 (1956), 379–422, qui in compluribus locis ipsius auctoris duplicem recensionem agnouerunt.

⁵⁰ Cui similem esse reor locum difficillimum 7. 687–8, de quo fusius alibi disputauī: "The Silence of Cephalus", *TAPhA* 125 (1995), 99–111.

PRAEFATIO

Vt lectiones quae adnotandas putavi quam maxime possem contraherem, noua quaedam sigla communia induxi. Sic Δ consensum codicum UrbEHMNSU, Σ autem consensum codicum BFGLPT repraesentat. Quod ad codices recentiores attinet, siglo ϕ denotaui lectiones quae in tribus pluribusue codicibus saeculi xii conseruantur. Nam aliquid referre ratus sum, utrum lectio quaedam in codicibus ante a. MCC scriptis inueniatur necne, multo minoris autem esse momenti, cum de lectione id temporis satis diffusa agatur, utrum lectio illa in codicibus 'abcd' an 'efgh' inueniri possit. Simili modo lectiones primum in uno alteroue codice s. xiii adseruatas siglo χ notauī, siglo autem ψ eas quae tantum in codicibus saeculi xiv uel xv inueni. Lectionibus denique codicum recentiorum ab aliis laudatis quae mihi nondum occurrerunt siglum ζ apposui.

Testes per classes ita citaui ut fragmenta uetustissima (ubicumque adsunt) primi nominentur, deinde codices EHMNSU, dein codices BFGLPT, postremo codices recentiores.

DE TESTIMONIIS

In apparatu suo luculento H. Magnus locos nostri carminis citatos a scriptoribus antiquis Mediiue Aeuī multos congegit, quibus alios adiecit W. S. Anderson simul cum locis quibusdam qui aliquo modo libros Metamorphoseon spectant uel imitantur. Non est mos huius Bibliothecae locos citatos in apparatu referre, sed etiamsi mihi talia complecti liceret, labor erat Sisypheus imitationes nostri carminis omnes apud scriptores antiquos colligere. Lectiones autem alicuius momenti uarias quae in locis ab aliis scriptoribus citatis inueniuntur diligenter adnotaui.

PRAEFATIO

DE REBUS ORTHOGRAPHICIS

'In re orthographica codicibus, quorum uetustissimus saeculo demum undecimo exaratus est, nulla fides danda est.' Quod nuper de Ciceronis opere, quod *De finibus* inscribitur, scripsit L. D. Reynolds⁵¹ optimo iure de Metamorphoseon libris usurpare possum, si de codicibus integris sermo est. Sed ne fragmenta quidem s. ix codicesque mutili s. x magnam in tali re auctoritatem habent. Unam igitur orthographiae normam semper adhibui, codicum uarietate in Appendice collecta. Fateor me quaedam magis arbitrio quam consilio statuuisse; spero autem non multum incommodi sic esse euenturum lectoribus.

Quod ad nominum propriorum scripturam attinet, mihi persuasum habeo Ouidium formas Graecas Latinis saepe praetulisse, ita ut *Helenen* pro *Helena* et *Hecaben* pro *Hecuba* scriberet.⁵² Quae formae licet in codicibus hic illic conseruentur, haud raro formam Graecam nullo codice suffragante admisi. Variationes notabiles in nominibus scribendis ad Appendicem relegaui, nisi quod errorum quorundam grauiorum mentionem etiam in apparatu critico feci.

Restat officium ualde iucundum, gratias habere collegis discipulis amicis qui me multis modis adiuuerunt dum hunc laborem ad finem perducebam. Primum eos nomino qui me hoc opus aggredientem consilio et hortatu confirmauerunt, G. P. Goold, F. Munari, et R. A. B. Mynors desideratissimos nec non E. J. Kenney, R. G. M. Nisbet, et W. S. Anderson, qui etiam mecum sua de codicibus inuenta communicauit. Praefecti Ordini Classicorum tum Torontonensi cum

⁵¹ Oxonii, 1998, p. xvii.

⁵² Rem breuiter attingit Marklandus ad Stat. S. 5. 3. 94.

PRAEFATIO

Haruardiano mihi iterum ad codices inspiciendos impensas liberaliter suppeditauerunt. Beneuolentiam complurium bibliothecariorum expertus sum qui me in thesauros suos admiserunt, quorum nonnulli, Berolinenses dico Florentinos Oxonienses Vaticanos, me non semel redire aequo animo passi sunt. Institutum Studiorum Superiorum Princetoni et Collegium Corporis Christi Oxonii, locus uterque amoenus, mihi decem abhinc annis hospitium ad haec studia exercenda humanissime prae-buerunt. Multum debeo discipulis tam Torontonensibus quam Haruardianis qui mecum locos dubios nodososque scrutati sunt. Textum et apparatus criticum benignissime perlegerunt emendaueruntque C. Damon, P. R. Hardie, D. E. Hill, E. J. Kenney, J. C. McKeown, M. D. Reeve, D. R. Shackleton Bailey. Totum librum priusquam imprimeretur qua est sagacitate scrutatus est L. Holford-Strevens; paginas modo impressas accuratissime castigauit E. J. Kenney. Quibus omnibus gratias ago quam maximas.

R.J.T.

*Scribham Cantabrigiae Massachusettensium
Mense Octobri a. MMIII*

INDEX EDITIONVM ET COMMENTATIONVM QVAE IN HAC EDITIONE LAVDANTVR

Editiones

F. Puteolanus	Bononiae	1471
R. Regius	Venetiis	1493
A. Naugerius	Venetiis	1517
N. Heinsius	Amstelodami	1652, 1659 ²
P. Burmannus	Amstelodami	1727
G. E. Gierig-J. C. Jahn ¹	Lipsiae	1804 ² , 1821 ³
E. C. C. Bach	Hanouerae	1831-6
J. C. Jahn	Lipsiae	1832
D. C. G. Baumgarten-Crusius	Lipsiae	1834
R. Merkel	Lipsiae	1855, 1875 ²
M. Haupt-O. Korn et al. ²	Lipsiae, postea Dublini et Turici	1853/1876-1966
J. Siebelis-F. Polle ³	Lipsiae	inde a 1871
A. Zingerle	Vindobonae et Pragae	1884
C. Simmons (XIII et XIV)	Londini	1887, 1899 ²
A. Riese	Lipsiae	1872, 1889 ²
G. M. Edwards ⁴	Londini	1894, 1905 ²
H. Magnus	Berolini	1914

¹ Tertia editio ab J. C. Jahnio retractata est.

² Textum librorum 1-7 cum commentario primum edidit M. Haupt anno 1853, quem quater ipse retractauit; a. 1876 libros 8-15 ad Hauptii exemplar edidit et enarrauit O. Korn, idemque librorum priorum Hauptii editionem recognouit. Quam totius carminis editionem a Rudolpho Ehwald bis retractatam (1898/1903, 1915/1916) M. von Albrecht a. 1966 correctam et commentationum recentiorum indice auctam in medium denuo protulit.

³ Fabularum Ouidianarum delectum a J. Siebelis factum saepius retractauit F. Polle; adii editionem postumam a. MCMXVIII emissam.

⁴ In illo syntagmate quod *Corpus Poetarum Latinorum* appellatur, ab Johanne P. Postgate collectum.

INDEX EDITIONVM

R. Ehwald	Lipsiae	1915
F. J. Miller—G. P. Goold ⁵	Cantabrigiae Massachuset- tensium	1916, 1977/1984
D. A. Slater (app. crit.)	Oxonii	1927
A. G. Lee (I)	Cantabrigiae	1953
A. S. Hollis (VIII)	Oxonii	1970
W. S. Anderson	Lipsiae et Stutgardiae	1977, 1981 ²

Commentationes

Virorum doctorum ante Heinsii aetatem coniecturae e Burmanni editione depromuntur.

ANDERSON, W. S., *Ovid's Metamorphoses: Books 6–10* (Normanni Oklahomae, 1972).

— 'Studies on the Naples Ms. IV F 3 of Ovid's *Metamorphoses*', *Ill. Class. St.* 2 (1977), 261–74.

BERGK, T., 'Coniectanea critica in Ovidium Nasonem', *Kleine philologische Schriften*, ed. R. Peppmüller (Halis Saxonum, 1884), i. 655–60.

BÖMER, F., *P. Ovidius Naso Metamorphosen* (Heidelbergae, 1969–86).

BOTHE, F. H., *Vindiciae Ovidianae* (Gottingae, 1818).

CLAUSEN, W., 'Two Conjectures', *AJPh* 84 (1963), 415–17.

— 'Ovid, *Met.* 15.90', *AJPh* 100 (1979), 247–9.

DAMSTÉ, P. H., 'De locis quibusdam ex Ovidii *Metamorphosesin*', *Mnemosyne*, n.s. 22 (1894), 58–65.

DIGGLE, J., 'Ovidiana', *PCPhS*, n.s. 18 (1972), 31–41.

ELLIS, R., 'On Some Passages of Ovid's *Metamorphoses*', *JPhil* 12 (1883), 62–76.

— apud Simmons.

FUSS, J. D., apud Magnum.

GÄRTNER, T., 'Ein umstrittener Metamorphosenvers im pseudo-ovidischen Epos *de vetula*', *Class. et Med.* 51 (2000), 185–90.

GETTY, R. G., apud Lee.

GILBERT, J., *Ovidianae quaestiones criticae et exegeticae* (Progr. Misniense, 1896).

GNILKA, C., 'Ovid, *Met.* 4.623', *Res Publica Litterarum*, 6 (1983), 143–4.

⁵ Editionem Loebianam a Francisco Justo Miller curatam G. P. Goold late retractavit multoque meliorem reddidit.

ET COMMENTATIONVM

- GRUNAUER, E., 'Zu Ovidius Metamorphosen', *Jahrb. f. Class. Phil.* 127 (1883), 420.
- HALL, J. B., recensio editionis Andersonianae, *PACA* 15 (1980), 62-70.
- HARDIE, P. R., ad editorem per litteras.
- HARRISON, S. J., 'A Conjecture on Ovid, *Metamorphoses* 4.243', *CQ*, n.s. 47 (1997), 608-9.
- HARTMAN, J. J., *De Ovidio poeta* (Lugduni Bataurorum, 1905).
- HARTUNG, C., 'Zu Ovidius', *Philologus*, 36 (1877), 362.
- HAVET, L., 'Ovidius *Metam.* 8,150', *Rev. Phil.*, n.s. 28 (1904), 48.
- HELLMUTH, C., *Emendationsversuche zu Ovids Metamorphosen* (Progr. Caesareolutreanum, 1880).
- HEYWORTH, S. J., ad editorem per litteras.
- HILL, D. E., 'Ovid, *Metamorphoses* 1, 438-60', *Mnemosyne*, ser. 4, 36 (1983), 159-61.
- HOTTINGER, J. J., apud Magnum.
- HOUSMAN, A. E., 'Emendations in Ovid's *Metamorphoses*', *TCPHS* 3 (1890), 140-53 = *Classical Papers*, i. 162-72.
- Apud Edwards.
- HUYCK, J. *A Commentary on Ovid's Armorum Iudicium, Metamorphoses 12.612-13.398* (Diss. Harvardiana, 1991).
- KENNEY, E. J., 'In Parenthesis', *CR*, n.s. 20 (1970), 291.
- 'Ovidius Prooemians', *PCPhS*, n.s. 22 (1976), 46-53.
- 'Too Many Ablatives Spoil the Broth', *CQ*, n.s. 28 (1978), 471-2.
- Recensio commentarii Bömeriani in libros 14-15, *CR*, n.s. 38 (1988), 247-9.
- 'Textual Notes on Ovid, *Metamorphoses* 7-9', *CQ*, n.s. 51 (2001), 545-50.
- ad editorem per litteras.
- KNOX, P. E., 'Three Notes on Ovid, *Metamorphoses* 15', *RhM*, n.s. 133 (1990), 187-9.
- KOEPPEL, J. H. J., apud Magnum.
- KOVACS, D., 'Notes on Ovid's *Metamorphoses*', *Museum Criticum*, 29 (1994), 245-9.
- LEJAY, P., *Morceaux choisis des Métamorphoses d'Ovide* (Lutetiae Parisiorum, 1894).
- LENZ, C. G., apud Magnum.
- LUCK, G., 'Notes on the Text of Ovid's *Metamorphoses*', *AJPh* 103 (1982), 47-61.
- MADVIG, J. N., *Adversaria critica ad scriptores Graecos et Latinos*, ii (Hauniae, 1873).

INDEX EDITIONVM

- MAGNUS, H., 'Ovids Metamorphosen in doppelter Fassung?', *Hermes* 40 (1905), 191-239, 60 (1925) 113-43.
- McKEOWN, J. C., ad editorem per litteras.
- MEHLER, E., 'Miscellanea', *Mnemosyne*, n.s. 6 (1878), 387-412.
- MURGIA, C. E., 'Ovid *Met.* 1.544-547 and the Theory of Double Recension,' *Class. Ant.* 3 (1984), 205-35.
- NICK, G., recensio editionis Merkelianae, *Phil. Anz.* 8 (1877), 486-96.
- PETERSMANN, H. 'LVCINA NIXVSQVE PARES. Die Geburtsgottheiten in Ovids *Met.* IX 294: Variationen eines mythologischen Motivs', *RhM*, n.s. 133 (1990), 157-75.
- POLLE, F. 'Zu Ovidius Metamorphosen', *Jahrb.f. Class. Phil.* 137 (1888), 266-70.
- POSTGATE, J. P., apud Edwards.
- PREIBISCH, P. 'Zu Ovidius Metamorphosen', *Jahrb.f. Class. Phil.* 123 (1881), 128.
- PULBROOK, M., 'Eleven Emendations in Latin Poets', *Hermathena*, 120 (1976), 39-49.
- RAPPOLD, J. *Beitrag zur Erklärung und Kritik der Ovidianischen Metamorphosen* (Progr. Leobenienese, 1871).
- 'Zu Ovid's Heroiden und Metamorphosen', *ZÖG* 32 (1881), 401-15.
- REEVE, M. D., ad editorem per litteras.
- ROSCHER, W. H., 'Zu Ovidius Metamorphosen III 643', *Jahrb.f. class. Phil.* 101 (1870), 216.
- 'Die Kentaurennamen bei Ovidius *Metam.* XII 220-499', *Jahrb.f. class. Phil.* 105 (1872), 421-8.
- SCHENKL, C., apud Zingerle.
- SHACKLETON BAILEY, D. R., 'Ovidiana', *CQ*, n.s. 4 (1954), 165-70.
- 'Notes on Ovid's *Metamorphoses*', *Phoenix*, 35 (1981), 332-7.
- 'Lump into Minibear', *CJ* 96 (2001), 261.
- ad editorem per litteras.
- SUCHIER, R., 'Zur Kritik von Ovidius Metamorphosen', *Jahrb.f. class. Phil.* 79 (1859), 570-5, 639-43.
- TARRANT, R. J., 'Editing Ovid's *Metamorphoses*: Problems and Possibilities', *CPh* 77 (1982), 342-60.
- 'Toward a Typology of Interpolation in Latin Poetry', *TAPhA* 117 (1987), 281-98.
- 'The Reader As Author: Collaborative Interpolation in Latin Poetry', in J. N. Grant, ed., *Editing Greek and Latin Texts* (Noui Eboraci, 1989), 121-62. = 1989a
- 'Silver Threads Among the Gold: A Problem in the Text

ET COMMENTATIONVM

- of Ovid's *Metamorphoses*, *Ill. Class. St.* 14 (1989), 103-17. = 1989b
- 'The Silence of Cephalus: Text and Narrative Technique in Ovid, *Metamorphoses* 7.685ff.', *TAPhA* 125 (1995), 99-111.
- 'The Soldier in the Garden and Other Intruders in Ovid's *Metamorphoses*', *HSCPh* 100 (2000), 425-38.
- TOURNIER, E. 'Sur un passage d'Ovide', *Rev. Phil.*, n.s. 19 (1895), 140-2.
- VOLLMER, F., apud Magnum.
- WATT, W. S., 'Ovidiana', *MH* 52 (1995), 90-107.
- 'Notes on Ovid', *Class. et Med.* 50 (1999), 167-78.
- ad editorem per litteras.
- WITHOF, J. H., *Praemetium crucium criticarum* (Lugduni Batauorum, 1749).
- ZWIERLEIN, O. *Die Ovid- und Vergil-Revision in Tiberischer Zeit. I. Prolegomena* (Berolini et Noui Eboraci, 1999).
- Alia quaedam in ipso apparatu critico citantur.

SIGLA

A. *Fragmenta*

- Bern Bernense 363, s. ix² (continet 1. 1-199, 304-9, 773-2. 22, 3. 1-56)
 Lips Lipsiense 48, s. ix (continet 3. 131-252)
 Par Parisinum lat. 12246, s. ix (continet 1. 81-193, 2. 67-254)
 Urb Vaticanum Vrbinas lat. 342, s. x med. (continet 5. 483-6. 45, 7. 731-8. 104)

Raro citantur

- Leod Leodicense deperditum, aetatis incertae
 Caes Caesenas deperditum, aetatis incertae

B. *Codices antiquiores (et integri et mutili)*

- E Londiniensis Add. 11967, s. x (continet 2. 833-3. 510, 4. 292-5. 389, 5. 588-6. 411)
 H Londiniensis Harleianus 2610, s. x (continet 1. 1-3. 622)
 M Marcianus Florentinus 225, s. xi² (continet 1. 1-14. 830)
 N Neapolitanus IV. F. 3, s. xi ex. uel xii in. (continet 1. 1-14. 839, 840-51 a manu simili primae additos)
 N² = corrector Beneuentanus (s. xii), N³ = corrector Gothicus (s. xii/xiii), N⁴ et N⁵ = correctores s. xiv et xv
 U Vaticanus Vrbinas lat. 341, s. xi² (continet 1. 1-15. 493, 494-879 a manibus posterioribus additos)
 U² = corrector Beneuentanus, U³ = correctores Gothici, U⁴ = corrector humanisticus s. xv
 S Spirensis deperditi quaternio Hauniae conseruatus (Ny kgl. S. 56 2^o), s. xi² uel ex. (continet 9. 324-10. 707)
 (S) Spirensis deperditi lectiones ex Langermanni collatione haustae (u. supra, p.xii)
 B Parisinus lat. 8001, s. xii in. (1. 1-6. 590) et xii² (6. 591-15. 879)
 F Marcianus Florentinus 223, s. xi², nisi quod 1. 1-445, 3. 111-4. 39, 4. 261-701 a manu s. xv (= F⁴) additi sunt
 G Sangallensis 866, s. xii (caret 8. 548-10. 428)
 L Laurentianus 36.12, s. xi/xii (continet 1. 1-12. 298)

SIGLA

- P Vaticanus Pal. lat. 1669, s. xi² (multa in libris 2–6 aut desiderantur aut non leguntur)
- T Tegernseensis, nunc Monacensis clm 29208 + cgm 4286, s. xi² (continet uersus circiter MM ex libris 1, 2, 4, 6, 8–15; u. supra, p. xiv)
- Mon Lectiones codicis deperditi ex lemmatibus commentarii in ff. 61^v–84 codicis Monacensis clm 4610 (s. xi ex. uel xii in.) conseruati repetitae

C. *Codices recentiores (s. xii uel xiii¹ praeter WZ d)*

- J Patauinus deperditus Sancti Iohannis in Viridario, s. xii (ut uid.)
- R Neapolitanus IV. F. 2, s. xii²
- W Vaticanus lat. 5859, a. MCCLXXV uel paulo ante
- Z Vindobonensis ser. nou. 12746, circa a. MCCCCLXX

- a Laurentianus Acq. e doni 434, s. xii ex. uel xiii¹
- b Oxoniensis Bodl. Auct. F. 4. 30, s. xii med.
- c Hauniensis Bibl. Reg. Gl. kgl. S. 2009 4^o, s. xii ex.
- d Parisinus lat. 8008, s. xiv
- e Erfurtensis Amplon. f. 1, s. xii²
- f Francofurtanus Bibl. Ciu. et Vniu. Barth. 110, s. xii/xiii
- g Graecensis Bibl. Vniu. 1415, s. xii ex. uel xiii in.
- h Hauniensis Bibl. Reg. Gl. kgl. S. 2008, s. xii ex. uel xiii in.
- k Londiniensis Bibl. Brit. King's 26, s. xii¹
- l Lucensis Bibl. Gov. 1417, s. xii¹ uel med.
- l₂ Lipsiensis B. Civ. 45, s. xii med.
- l₃ Laurentianus 36.10, s. xii ex.
- l₄ Laurentianus 36.14, s. xii ex.
- l₅ Lausannensis Bibl. Cant. et Vniu. 403, s. xii ex.
- l₆ Londiniensis Bibl. Brit. Harl. 2737, s. xii ex.
- m Monacensis clm 23612, s. xii ex.
- o Leidensis Voss. lat. O. 51, s. xii²
- p Heidelbergensis Pal. lat. 1661, s. xii/xiii
- p₂ Parisinus lat. 8000, s. xii ex.
- r Vaticanus lat. 11457, s. xii²
- s Laurentianus Strozianus 121, s. xii²
- v Vaticanus lat. 1593, s. xii/xiii
- v₂ Vaticanus Ottob. lat. 3313, s. xii²
- v₃ Romanus Bibl. Vallicelliana F.25, s. xii²
- w Guelferbytanus Bibl. Duc. 2942, s. xii/xiii

SIGLA

- z** Turicensis Bibl. Centr. Rhenouanus 46, s. xii med./xii²
- Plan** Lectiones codicis Latini quo usus est Maximus Planudes, ex ipsius Graeca interpretatione probabiliter restitutae

Insuper his siglis compendiisque usus sum:

- Δ** consensus codicum Ur**BEHM**NUS uel eorum qui unoquoque loco extant, praeter eos qui separatim laudantur
- Σ** consensus codicum BF**GLPT** uel eorum qui unoquoque loco extant, praeter eos qui separatim laudantur
- Ω** consensus fragmentorum uetustissimorum (Bern Lips Par Urb) codicumque **EHMNUS** BF**GLPT** uel eorum qui unoquoque loco extant, praeter eos qui separatim laudantur
- δ** consensus codicum **RWZ** uel ex iis duorum
- φ** lectio quae in tribus pluribusue codicibus recentioribus supra enumeratis (maximam partem s. xii) inuenitur
- χ** lectio quae in uno pluribusue codicibus s. xiii inuenitur
- ψ** lectio quae in uno pluribusue codicibus s. xiv uel xv inuenitur
- ς** lectio codicibus recentioribus ab editoribus tributa quam ipse nondum inueni
- N^{ac}** lectio codicis N ante correctionem
- (N^{ac})** lectio codicis N ante correctionem quae non plane legitur sed plus minusue probabiliter conici potest
- N^c** lectio codicis N post correctionem; **N^{2c}** indicat correctionem a manu altera esse factam, et simili modo **N^{3c}**, **N^{4c}**, **N^{5c}**
- N^g** glossema in codice N additum; **N^{2g}** et cetera ut supra
- N^m** lectio in margine codicis N addita; **N^{2m}** et cetera ut supra
- N^s** lectio supra uersum in codice N addita; **N^{2s}** et cetera ut supra
- N^v** uaria lectio in codice N addita; **N^{2v}** et cetera ut supra
- N¹** lectio primae manus in codice N ubi etiam inest uaria quaedam lectio uel lectio in margine addita

In correctionibus notandis litteras erasas lineis inclinatis (///), litteras autem supra rasuram rescriptas litteris inclinatis (e.g., 8. 750 arbore) designauimus.

(Heinsius) lectio ab Heinsio in notis suis probata quam non recepi

SIGLA

Comparatio Siglorum

Haec editio	Anderson	Magnus	Slater
Bern	α	α	α
Lips	λ	λ	λ
Par	π	π	π
Urb	υ	υ	υ
Caes	c	—	c
Leod	—	—	ζ,
E	β	β	β
H	ε	ε	ε
M	M	M	M
N	N	N	N
U	U	—	U
S	S/κ	κ	S/κ
B	P	—	P
F	F	F	F
G	—	—	—
L	L	l	L
P	E	—	E
T	t	τ	—
Mon	—	Ben	—
J	—	—	J
R	—	—	—
W	W	—	—
Z	—	—	—
a	d	—	—
b	Bodl. F.4.30	—	—
c	—	—	—
d	—	—	—
e	e	e	e
f	—	—	—
g	—	g	—
h	h	h	h
k	a	—	a
l	—	—	—
l ₂	—	—	—
l ₃	Laur. 36.10	—	—

SIGLA

Haec editio	Anderson	Magnus	Slater
l_4	—	—	—
l_5	—	—	—
l_6	—	—	—
m	—	μ	—
o	Leid. Voss. O. 51	—	—
p	p	p	p
p_2	Paris. 8000	—	—
r	r	—	—
s	s_1	—	s_1
v	v	—	—
v_2	o	—	—
v_3	Vall. F 25	—	—
w	—	w_t	—
z	—	—	—
Plan	Plan.	Plan	Plan

P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER PRIMVS

IN NOVA fert animus mutatas dicere formas
corpora; di, coeptis (nam uos mutastis et illa)
aspirate meis primaque ab origine mundi
ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

Ante mare et terras et quod tegit omnia caelum 5
unus erat toto naturae uultus in orbe,
quem dixere Chaos; rudis indigestaque moles
nec quidquam nisi pondus iners congestaque eodem
non bene iunctarum discordia semina rerum.
nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan 10
nec noua crescendo reparabat cornua Phoebe
nec circumfuso pendebat in aere Tellus
ponderibus librata suis nec brachia longo

1-13 Bern HMNU³ BF⁴GLP

Inuocatio METAMORPHOSEON I Lib(er) .p. ovidii Bern: INCI-
PIT P. N. O. METAMORPHIOSIS H (ut uid., sed multa rescripta uel
euanida): P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEOS LIBER I
CVM SVIS NARRATIONIBVS INCIPIT M: Narratio Ouidii naso-
nis metamorphoseon in libris quindecim N (f. 3r): INCIPIT LIBER
PRIMVS OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON B: . . .]
NASONIS METAMORPHOSEOS INCIPIT P (cetera euanida): non
legitur L, nulla inscriptio in U³ F⁴G 1-3. 622 adest H
1-199 exstant in Bern 1-445 deest F⁴, suppl. F⁴ (s. xv)
1-75 deest U¹, suppl. U³ (s. xiv) 2 uos] di Bern H (B¹⁰)GP,
cf. 1.3. 597 illa (sc. coepta) e^v U¹⁰ (coni. Lejay), def. Kenney 1976:
illas Ω

margine terrarum porrexerat Amphitrite.
 utque erat et tellus illic et pontus et aer, 15
 sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
 lucis egens aer; nulli sua forma manebat
 obstatatque aliis aliud, quia corpore in uno
 frigida pugnabant calidis, umentia siccis,
 mollia cum duris, sine pondere habentia pondus. 20
 Hanc deus et melior litem natura diremit.
 nam caelo terras et terris abscidit undas
 et liquidum spisso secrevit ab aere caelum;
 quae postquam euoluit caecoque exemit aceruo,
 dissociata locis concordi pace ligauit. 25
 ignea conuexi uis et sine pondere caeli
 emicuit summaque locum sibi fecit in arce;
 proximus est aer illi leuitate locoque;
 densior his tellus elementaque grandia traxit
 et pressa est grauitate sua; circumfluit umor 30
 ultima possedit solidumque coercuit orbem.
 sic ubi dispositam quisquis fuit ille deorum
 congeriem secuit sectamque in membra redegit,
 principio terram, ne non aequalis ab omni
 parte foret, magni speciem glomerauit in orbis. 35
 tum freta diffundi rapidisque tumescere uentis
 iussit et ambitae circumdare litora terrae.
 addidit et fontes et stagna immensa lacusque,
 fluminaque obliquis cinxit decliua ripis;
 quae diuersa locis partim sorbentur ab ipsa, 40

14-40 Bern HMNU³ BF⁴GLP

14 amphitrite Bern N⁴U⁴: -tes uel -des Ω 15 utque uel ut
 qu(a)e Bern Leod H^{ac}: ut qua H^{2c}U³ LP: quaque M^{2c} B⁴F⁴, Porphyrio
 ad Hor. C. 3. 4. 29: atque ubi N quaque fuit tellus Porphyrio (ut uid.)
 aer Bern M^{4m} P: (a)ether Ω 27 fecit Bern M(S): legit Ω (ex 12.
 4.3?): de H n.l. 36 diffundi U³ ψ: diffudit Ω (-ndit Bern), fort. recte

METAMORPHOSEON LIBER I

in mare perueniunt partim campoque recepta
 liberioris aquae pro ripis litora pulsant.
 iussit et extendi campos, subsidere ualles,
 fronde tegi siluas, lapidosos surgere montes.
 utque duae dextra caelum totidemque sinistra 45
 parte secant zonae (quinta est ardentior illis),
 sic onus inclusum numero distinxit eodem
 cura dei, totidemque plagae tellure premuntur.
 quarum quae media est non est habitabilis aestu;
 nix tegit alta duas; totidem inter utrumque locauit 50
 temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.
 imminet his aer, qui, quanto est pondere terrae
 pondus aquae leuius, tanto est onerosior igni.
 illic et nebulas, illic consistere nubes
 iussit et humanas motura tonitrua mentes 55
 et cum fulminibus facientes fulgora uentos.
 his quoque non passim mundi fabricator habendum
 aera permisit. (uix nunc obsistitur illis,
 cum sua quisque regant diuerso flamina tractu,
 quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum.) 60
 Eurus ad Auroram Nabataeaeque regna recessit
 Persidaeque et radiis iuga subdita matutinis;
 uesper et occiduo quae litora sole tepescunt
 proxima sunt Zephyro; Scythiam septemque Triones
 horrifer inuasit Boreas; contraria tellus 65

41-65 Bern HMNU³ BF⁴GLP

47 onus] opus Markland ad. Stat. S. 5. 3. 202 50 utrumque
 Bern o' χ: -amque Ω: -asque ψ (coni. Rappold 1881) 53 pondus
 aquae leuius 'codex peruetustus' Alex. Philumeni (teste Constantio
 Fanensi): pondere aqu(a)e leuior Ω (cf. Housman, ed. Luc. xxvii sqq.)
 56 fulgora Bern: frig- Ω (ex Verg. G. 1. 352) 59 regant M: -at Ω
 (rotat Bern), cf. 12. 224-5 64 triones Ω, Seneca NQ 5. 16. 1,
 Diomedes GLK i. 436: -em M(ut uid.)N^{ac}U³ B^{ac}, cf. Verg. G. 3. 381

nubibus assiduis pluuioque madescit ab Austro.
 haec super imposuit liquidum et grauitate carentem
 aethera nec quidquam terrenae faecis habentem.
 uix ita limitibus dissaepserat omnia certis,
 cum quae pressa diu fuerant caligine caeca 70
 sidera coeperunt toto efferuescere caelo.
 neu regio foret ulla suis animalibus orba,
 astra tenent caeleste solum formaeque deorum,
 cesserunt nitidis habitandae piscibus undae,
 terra feras cepit, uolucres agitabilis aer. 75
 Sanctius his animal mentisque capacius altae
 deerat adhuc et quod dominari in cetera posset.
 natus homo est, siue hunc diuino semine fecit
 ille opifex rerum, mundi melioris origo,
 siue recens tellus seductaque nuper ab alto 80
 aethere cognati retinebat semina caeli,
 quam satus Iapeto mixtam pluuiialibus undis
 finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
 pronaque cum spectent animalia cetera terram,
 os homini sublime dedit caelumque uidere 85
 iussit et erectos ad sidera tollere uultus.
 sic modo quae fuerat rudis et sine imagine tellus
 induit ignotas hominum conuersa figuras.
 Aurea prima sata est aetas, quae uindice nullo,
 sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat. 90
 poena metusque aberant, nec uerba minantia fixo

66-75 *Bern HMNU³ BF⁴GLP*
 81-91 *Bern Par HMNU BF⁴GLP*

76-80 *Bern HMNU BF⁴GLP*

69 diss(a)epserat *Bern Leod* (cf. *Sen. Med.* 335): discerpserat Ω
 (discreu- $U^1 \phi$) 70 fuerant cal. c(a)eca *Bern N* (multa *pro*
 caeca): massa latuere sub ipsa $H^{2c} F^4LP$: m. l. s. illa $MU^3 BG$ (cf. *F.* 1.
 107-8) 72 animantibus *w* (ut uid.) χ (*Heinsius*) 76 inc. U^1
 81-193 *exstant in Par* 82 pluuiialibus *Bern* (cf. '*Lactantii*'
narrationem, terram imbre molliuit): flu- Ω (cf. 3. 594) 91-3 *hab.*
MN^{2m} U^{3m} B^{3m} F⁴ L^{1m}: om. Ω (fort. recte) 91 minacia M^{2c}

METAMORPHOSEON LIBER I

aere ligabantur, nec supplex turba timebat
 iudicis ora sui, sed erant sine uindice tuti.
 nondum caesa suis, peregrinum ut uiseret orbem,
 montibus in liquidas pinus descenderat undas, 95
 nullaque mortales praeter sua litora norant;
 nondum praecipites cingebant oppida fossae;
 non tuba derecti, non aeris cornua flexi,
 non galeae, non ensis erat; sine militis usu
 mollia securae peragebant otia gentes. 100
 ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis
 saucia uomeribus per se dabat omnia tellus;
 contentique cibus nullo cogente creatis
 arbuteos fetus montanaque fraga legebant
 cornaque et in duris haerentia mora rubetis 105
 et quae deciderant patula Iouis arbore glandes.
 uer erat aeternum, placidique tepentibus auris
 mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
 mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
 nec renouatus ager grauidis canebat aristis. 110
 flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
 flauaque de uiridi stillabant ilice mella.

Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso
 sub Ioue mundus erat, subiit argentea proles,
 auro deterior, fuluo pretiosior aere. 115
 Iuppiter antiqui contraxit tempora ueris
 perque hiemes aestusque et inaequales autumnos
 et breue uer spatiis exegit quattuor annum.
 tum primum siccis aer feruoribus ustus
 canduit et uentis glacies astricta pependit; 120
 tum primum subiere domos (domus antra fuerunt
 et densi frutices et uinctae cortice uirgae);

92-122 *Bern Par HMNU BF⁴GLP*

92 *legebantur F⁴ χ (Heinsius)* 99 *erant Bern χ (Heinsius), cf. Tib.*
1. 10. 9 114 *subiit Bern Par H⁸⁰(S) BG¹P: -iitque Δ(N⁸) G²²: -i(i)t*
hi(n)c H²⁰ F⁴L

P. OVIDI NASONIS

semina tum primum longis Cerealia sulcis
obruta sunt, pressique iugo gemuere iuueni.

Tertia post illam successit aenea proles, 125
saeuior ingeniis et ad horrida promptior arma,
non scelerata tamen. de duro est ultima ferro.
protinus inrupit uenae peioris in aeuum
omne nefas; fugere pudor uerumque fidesque,
in quorum subiere locum fraudesque dolique 130
insidiaeque et uis et amor sceleratus habendi.
uela dabat uentis (nec adhuc bene nouerat illos)
nauita, quaeque diu steterant in montibus altis
fluctibus ignotis exsultauere carinae;
communemque prius ceu lumina solis et auras 135
cautus humum longo signauit limite mensor.
nec tantum segetes alimentaue debita diues
poscebatur humus, sed itum est in uiscera terrae
quasque recondiderat Stygiisque admouerat umbris
effodiuntur opes, inritamenta malorum. 140
iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum
prodierat; prodit bellum, quod pugnat utroque,
sanguineaue manu crepitantia concutit arma.
uiuitur ex raptō. non hospes ab hospite tutus, 144
non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est.
imminet exitio uir coniugis, illa mariti;
lurida terribiles miscent aconita nouercae;
filius ante diem patrios inquiri in annos;
uicta iacet pietas, et uirgo caede madentes
ultima caelestum terras Astraera reliquit. 150

Neue foret terris securior arduus aether,

123-51 *Bern Par HMNU BFGLP*

125 illas (*B^{ac}*)*L* 132 dabat *M^{ac}NU F^{ac}GL^{ac}*: -nt *Ω*, fort. recte
134 exsultauere *Bern φ*: ins- *Ω* 135 auras *Bern (Par) (M^{ac})NU^{ac}*
P: -(a)e *Ω*

METAMORPHOSEON LIBER I

adfectasse ferunt regnum caeleste Gigantas
altaque congestos struxisse ad sidera montes.
tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
fulmine et excussit subiectae Pelion Ossae. 155
obruta mole sua cum corpora dira iacerent,
perfusam multo natorum sanguine Terram
immaduisse ferunt calidumque animasse cruorem
et, ne nulla suae stirpis monimenta manerent,
in faciem uertisse hominum. sed et illa propago 160
contemptrix superum saeuaeque audivissima caedis
et uiolenta fuit; scires e sanguine natos.

Quae pater ut summa uidit Saturnius arce,
ingemit et, facto nondum uulgata recenti
foeda Lycaoniae referens conuiuia mensae, 165
ingentes animo et dignas Ioue concipit iras
conciliumque uocat; tenuit mora nulla uocatos.
est uia sublimis, caelo manifesta sereno;
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.
hac iter est superis ad magni tecta Tonantis 170
regalemque domum. dextra laeuaque deorum
atria nobilium ualuis celebrantur apertis.
plebs habitat diuersa locis; hac parte potentes
caelicolae clarique suos posuere Penates.
hic locus est quem, si uerbis audacia detur, 175
haud timeam magni dixisse Palatia caeli.
ergo ubi marmoreo superi sedere recessu,

152-77 Bern Par HMNU BFGLP

155 subiect(a)e Bern (M^{ac}) χ : -um M^{2c} F^{4c} L: -to Ω (Ossa fem. cf. Am.
2. 1. 14, Prop. 2. 1. 19-20) 162 natam BG(L^{ac}) 165 mensae]
cen(a)e U P 166 animo et] -o $\Sigma(P)$: -os et H^{ac} : -os $MN^r U^{2c}$ L (cf.
Verg. G. 4. 83) 173 hac parte Bern: hac fronte Par H($M^{ac}?$) NU^r
BG, Lact. Inst. 1. 16. 12: a fr- $M^{2c}(U^{ac}) F^4LP$ 176 caeli] regis
 $M^{4c}U^{2c} B^{2c} \phi$

P. OVIDI NASONIS

celsior ipse loco sceptroque innixus eburno
 terrificam capitis concussit terque quaterque
 caesariem, cum qua terram mare sidera mouit. 180
 talibus inde modis ora indignantia soluit:
 'non ego pro mundi regno magis anxius illa
 tempestate fui, qua centum quisque parabat
 inicere anguipedum captiuo bracchia caelo. 184
 nam quamquam ferus hostis erat, tamen illud ab uno
 corpore et ex una pendebat origine bellum.
 nunc mihi, qua totum Nereus circumsonat orbem,
 perdendum est mortale genus; per flumina iuro
 infera sub terras Stygio labentia luco. 189
 cuncta prius temptanda, sed immedicabile corpus
 ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
 sunt mihi semidei, sunt rustica numina nymphae
 Faunisque Satyrique et monticolae Siluani;
 quos, quoniam caeli nondum dignamur honore,
 quas dedimus certe terras habitare sinamus. 195
 an satis, o superi, tutos fore creditis illos,
 cum mihi, qui fulmen, qui uos habeoque regoque,
 struxerit insidias notus feritate Lycaon?'

Confremuere omnes studiisque ardentibus ausum
 talia deposcunt. sic, cum manus impia saeuit 200
 sanguine Caeseo Romanum extinguere nomen,

178-93 Bern Par HMNU BF⁴GLP 194-8 Bern HMNU
 BF⁴GLP 198-9 Bern HMN⁴U BF⁴GLP 200-1 HMN⁴U
 BF⁴GLP

190 temptata Bern (N^{ac}) L^{ac}, edd. multi corpus (sc. caro) Bern
 HM¹(N^{ac})U³ⁿ B¹G¹L¹: uulnus Ω (ex 10. 189?) 193 faunisque et
 M^{2c}N^{1c}(S)U³ⁿ BG: et fauni F⁴L² post 193 desinit Par
 198-255 desunt in N folio amisso, suppl. N⁴; (N) = lectio codicis N ex
 apographo eius Laur. 36. 5 restituta 199 confremuere F⁴ φ: non fr-
 Bern: contr- Ω post 199 desinit Bern

METAMORPHOSEON LIBER I

attonitum tanto subitae terrore ruinae
 humanum genus est totusque perhorruit orbis.
 nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum est
 quam fuit illa Ioui. qui postquam uoce manuque 205
 murmura compressit, tenuere silentia cuncti.
 substitit ut clamor pressus grauitate regentis,
 Iuppiter hoc iterum sermone silentia rupit:
 'ille quidem poenas (curam hanc dimittite) soluit;
 quod tamen admissum, quae sit uindicta docebo. 210
 contigerat nostras infamia temporis aures;
 quam cupiens falsam summo delabor Olympo
 et deus humana lustris sub imagine terras.
 longa mora est quantum noxae sit ubique repertum
 enumerare; minor fuit ipsa infamia uero. 215
 Maenala transieram latebris horrenda ferarum
 et cum Cyllene gelidi pineta Lycae;
 Arcadis hinc sedes et inhospita tecta tyranni
 ingredior, traherent cum sera crepuscula noctem.
 signa dedi uenisse deum, uulgiusque precari 220
 coeperat; inridet primo pia uota Lycaon,
 mox ait "experiar deus hic discrimine aperto
 an sit mortalis, nec erit dubitabile uerum."
 nocte grauem somno necopina perdere morte
 me parat—haec illi placet experientia ueri! 225
 nec contentus eo est; missi de gente Molossa
 obsidis unius iugulum mucrone resoluit
 atque ita semineces partim feruentibus artus
 mollit aquis, partim subiecto torruit igni. 229

202-29 HMN⁴U BF⁴GLP

202 tant(a)e subito H F ⁴ GL	206 om. HM ^{ac} U ^{ac} B ^{ac}
207 fort. secludendus (207-8 deleuerat Merkel)	217 om. M ^{ac}
cyllene M ^{2m} χ: -no Ω (-neo U, transirem B ^{ac} G)	218 arcadis H ^{ac} M
B(G ^{ac}): -dos H ^c U ^c G ^{2c} : -des F ⁴ LP: -das (N)U ^{ac} (Heinsius)	225 me
parat] comparat (H ^{ac})(M ^{ac})U ^c : praep- F ⁴	

quod simul imposuit mensis, ego uindice flamma
 in domino dignos euerti tecta Penates.
 territus ipse fugit nactusque silentia ruris
 exululat frustra loqui conatur; ab ipso
 colligit os rabiem, solitaeque cupidine caedis 234
 uertitur in pecudes et nunc quoque sanguine gaudet.
 in uillos abeunt uestes, in crura lacerti;
 fit lupo et ueteris seruat uestigia formae:
 canities eadem est, eadem uiolentia uultus,
 idem oculi lucent, eadem feritatis imago est.
 occidit una domus, sed non domus una perire 240
 digna fuit; qua terra patet, fera regnat Erinys.
 in facinus iurasse putes; dent ocios omnes
 quas meruere pati (sic stat sententia) poenas.'

Dicta Iouis pars uoce probant stimulosque
 frementi
 adiciunt, alii partes adsensibus implent. 245
 est tamen humani generis iactura dolori
 omnibus, et quae sit terrae mortalibus orbae
 forma futura rogant, quis sit laturus in aras
 tura, ferisne paret populandas tradere terras.
 talia quaerentes (sibi enim fore cetera curae) 250
 rex superum trepidare uetat subolemque priori
 dissimilem populo promittit origine mira.

Iamque erat in totas sparsurus fulmina terras,
 sed timuit ne forte sacer tot ab ignibus aether
 conciperet flammam longusque ardesceret axis. 255
 esse quoque in fati reminiscitur adfore tempus

230-55 HMN⁴U BF⁴GLP

256 HMNU BF⁴GLP

230 quos N⁴ BL⁴ 231 domino G: -um Ω dignos HMN⁴ F⁴P⁴:
 dignosque (N)U LP⁴: et dignos BG 235 uertitur HU F⁴L (cf. 4.
 270, 11. 23): utitur Ω 239 lurent Housman 1890, cf. 2. 776
 255 longusque (cf. Verg. G. 3. 223)] totusque N⁴ F⁴GLP
 256 redit N⁴

METAMORPHOSEON LIBER I

quo mare, quo tellus correptaque regia caeli
 ardeat et mundi moles operosa labore.
 tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum;
 poena placet diuersa, genus mortale sub undis 260
 perdere et ex omni nimbos demittere caelo.
 protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris
 et quaecumque fugant inductas flamina nubes,
 emittitque Notum. madidis Notus euolat alis,
 terribilem picea tectus caligine uultum; 265
 barba grauis nimbis, canis fluit unda capillis,
 fronte sedent nebulae, rorant pennaque sinusque.
 utque manu late pendentia nubila pressit,
 fit fragor; hinc densi funduntur ab aethere nimbi.
 nuntia Iunonis uarios induta colores 270
 concipit Iris aquas alimentaue nubibus adfert;
 sternuntur segetes et deplorata colonis
 uota iacent, longique perit labor inritus anni.
 nec caelo contenta suo est Iouis ira, sed illum
 caeruleus frater iuuat auxiliariis undis. 275
 conuocat hic amnes; qui postquam tecta tyranni
 intrauere sui, 'non est hortamine longo
 nunc' ait 'utendum. uires effundite uestras
 (sic opus est), aperite domos ac mole remota
 fluminibus uestris totas immittite habenas.' 280
 iusserat; hi redeunt ac fontibus ora relaxant
 et defrenato uoluuntur in aequora cursu.
 ipse tridente suo terram percussit; at illa
 intremuit motuque uias patefecit aquarum.
 exspatiata ruunt per apertos flumina campos 285
 cumque satis arbusta simul pecudesque uirosque

257-86 HMNU BF^uGLP

258 moles] proles HM'N' B'G' operosa] obsessa HM'N' B'G'
 269 hinc MN (cf. 218 supra): et Ω 272-3, 285, 290, 292,
 304 carptim et turbato ordine citat Sen. NQ 3. 27. 13-28. 2
 272 colonis Ω, Seneca: -ni HN^u BG (ex 8. 291?)

P. OVIDI NASONIS

tectaque cumque suis rapiunt penetralia sacris.
 si qua domus mansit potuitque resistere tanto
 indeiecta malo, culmen tamen altior huius
 unda tegit pressaeque latent sub gurgite turres. 290
 iamque mare et tellus nullum discrimen habebant;
 omnia pontus erat, deerant quoque litora ponto.
 occupat hic collem, cumba sedet alter adunca
 et ducit remos illic ubi nuper ararat;
 ille supra segetes aut mersae culmina uillae 295
 nauigat, hic summa piscem deprendit in ulmo;
 figitur in uiridi, si fors tulit, ancora prato,
 aut subiecta terunt curuae uineta carinae;
 et, modo qua graciles gramen carpsere capellae,
 nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae. 300
 mirantur sub aqua lucos urbesque domosque
 Nereides, siluasque tenent delphines et altis
 incursant ramis agitataque robora pulsant.
 nat lupus inter oues, fuluos uehit unda leones,
 unda uehit tigres; nec uires fulminis apro, 305
 crura nec ablato prosunt uelocia ceruo;
 quaesitisque diu terris ubi sistere possit,
 in mare lassatis uolucris uaga decedit alis.
 obruerat tumulos immensa licentia ponti
 pulsabantque noui montana cacumina fluctus. 310
 maxima pars unda rapitur; quibus unda pepercit,
 illos longa domant inopi ieiunia uictu.

287-303 *HMNU BF⁴GLP*
 310-12 *HMNU BF⁴GLP*

304-9 *Bern HMNU BF⁴GLP*

290 latent] labant *codd.* *Senecae fere omnes* 292 erat Ω , *codd.*
Senecae fere omnes (cf. 15. 529): erant *M B^{4c}* 294 arabat (*N^{ac}*) *e*
 (-bant) χ , non male (cf. 2. 252) 298 terunt (*M^{ac}*) *N¹ U L^{iv} P*: teg- Ω
 299 qua *U^c B^{iv} F⁴ G*: quo Ω 304-9 *exstant in Bern* 304-5
 fuluos . . . tigres *om. HM^{ac} (N^{ac})*; habet *Bern*, sed ordine turbato (nat . . .
 oues nec uires f. apro | unda u. tigres, fuluos . . . leones)

METAMORPHOSEON LIBER I

Separat Aonios Oetaeis Phocis ab aruis,
 terra ferax dum terra fuit, sed tempore in illo
 pars maris et latus subitarum campus aquarum. 315
 mons ibi uerticibus petit arduus astra duobus,
 nomine Parnasos, superantque cacumina nubes.
 hic ubi Deucalion (nam cetera texerat aequor)
 cum consorte tori parua rate uectus adhaesit,
 Corycidas nymphas et numina montis adorant 320
 fatidicamque Themis, quae tunc oracula tenebat.
 non illo melior quisquam nec amantior aequi
 uir fuit aut illa metuentior ulla deorum.
 Iuppiter, ut liquidis stagnare paludibus orbem
 et superesse uirum de tot modo milibus unum 325
 et superesse uidet de tot modo milibus unam,
 innocuos ambo, cultores numinis ambo,
 nubila disiecit nimbisque Aquilone remotis
 et caelo terras ostendit et aethera terris.
 nec maris ira manet positoque tricuspile telo 330
 mulcet aquas rector pelagi, supraque profundum
 exstantem atque umeros innato murice tectum
 caeruleum Tritona uocat conchaeque sonanti
 inspirare iubet fluctusque et flumina signo
 iam reuocare dato. caua bucina sumitur illi, 335
 tortilis in latum quae turbine crescit ab imo,
 bucina quae, medio concepit ubi aera ponto,
 litora uoce replet sub utroque iacentia Phoebo.
 tum quoque, ut ora dei madida rorantia barba

313-39 HMNU BF⁴GLP

313 Oetaeis *Delrius ad Sen. H.F. 1164*: act- Ω 316 petit (st- H)]
 ferit *schol. Luc. 3. 173 in cod. Bern. 370 (s. ix)* 317 superantque
 cacumina MN: -atque -mine HU^r Σ 325 uirum] uidet N^{2c}U B^{2v}
 332 tectum] tinctum φ (*coni. Bentley*) 333 conch(a)equae H L^{ac}:
 -aque Ω sonaci s (*Heinsius*), cf. *Tarrant 1989b*

contigit et cecinit iussos inflata receptus, 340
 omnibus audita est telluris et aequoris undis
 et quibus est undis audita coercuit omnes.
 iam mare litus habet, plenos capit alueus amnes,
 [flumina subsidunt collesque exire uidentur,]
 surgit humus, crescunt iuga decrescentibus undis; 345
 postque diem longam nudata cacumina siluae
 ostendunt limumque tenent in fronde relictum.

Redditus orbis erat; quem postquam uidit inanem
 et desolatas agere alta silentia terras,
 Deucalion lacrimis ita Pyrrham adfatur obortis: 350
 'o soror, o coniunx, o femina sola superstes,
 quam commune mihi genus et patruelis origo,
 deinde torus iunxit, nunc ipsa pericula iungunt,
 terrarum, quascumque uident occasus et ortus,
 nos duo turba sumus; possedit cetera pontus. 355
 haec quoque adhuc uitae non est fiducia nostrae
 certa satis; terrent etiamnum nubila mentem.
 quis tibi, si sine me fatis erepta fuisses,
 nunc animus, miseranda, foret? quo sola timorem
 ferre modo posses? quo consolante doleres? 360
 namque ego, crede mihi, si te quoque pontus haberet,
 te sequerer, coniunx, et me quoque pontus haberet.
 o utinam possim populos reparare paternis
 artibus atque animas formatae infundere terrae!

340-64 HMNU BF⁴GLP

340 receptus $H(M^{ac})$ (G^{ac}): recessus Ω 344 *secl. Riese (ante*
 343 *posuit Merkel)* colles (*om. -que*) *ce* χ (*Heinsius*) 345 iuga
Slater (prob. Watt 1999, coll. Sil. 1. 274): loca Ω : sola *Heinsius, Housman*
 1890 360 doleres $M^{ac}M^{ac}NU B^{11}P^c$: dolores $HM^{ac} B^{c1}GL(P^{ac})$:
 dolorem F^4 361 quoque] modo N^c (*qua manu n. l.*) U
 363 possim $HM^{c1}N$: -em Ω

METAMORPHOSEON LIBER I

nunc genus in nobis restat mortale duobus 365
(sic uisum superis) hominumque exempla manemus.'

Dixerat, et flebant. placuit caeleste precari
numen et auxilium per sacras quaerere sortes.
nulla mora est; adeunt pariter Cephisidas undas,
ut nondum liquidas, sic iam uada nota secantes. 370
inde ubi libatos inrorauere liquores
uestibus et capiti, flectunt uestigia sanctae
ad delubra deae, quorum fastigia turpi
pallebant musco stabantque sine ignibus arae.
ut templi tetigere gradus, procumbit uterque 375
pronus humi gelidoque pauens dedit oscula saxo;
atque ita 'si precibus' dixerunt 'numina iustis
uicta remollescunt, si flectitur ira deorum,
dic, Themī, qua generis damnum reparabile nostri
arte sit et mersis fer opem, mitissima, rebus.' 380
mota dea est sortemque dedit: 'discedite templo
et uelate caput cinctasque resolute uestes
ossaue post tergum magnae iactate parentis.'
obstipuerē diu rumpitque silentia uoce
Pyrrha prior iussisque deae parere recusat 385
detque sibi ueniam pauido rogat ore timetque
laedere iactatis maternas ossibus umbras.
interea repetunt caecisque obscura latebris
uerba datae sortis secum inter seque uolutant.
inde Promethides placidis Epimethida dictis 390

365-90 HMNU BF⁴GLP

366 uisum est $M^{1s} L$ 370 ut $(H^{ac})(M^{ac})(N^{ac}) G$: et Ω (iam B^c ,
sed $F^4 L$) sic $(H^{ac} ?)(M^{ac}) N^{ac}(U^{ac})$: sed Ω 384 rumpitque HMN^{ac}
 F^4 : rupitque $N^4 U \Sigma$ 386 pauido] timido $o \psi$ (Heinsius) timetque χ
(cf. 2. 66): pauetque Ω : cauetque Gronovius: pigetque Shackleton Bailey
1981 388 c(a)ecisque $H L(P^{ac})$: c(a)ecis Ω , fort. recte
389 dat(a)e] de(a)e $HM(N^{ac})(U^{ac})$: uerba deae, sortis *dist. Magnus*
390 inde $U(S) F^4 P$, Priscianus 2. 37: hinc Ω

P. OVIDI NASONIS

mulcet et 'aut fallax' ait 'est sollertia nobis
 aut pia sunt nullumque nefas oracula suadent.
 magna parens terra est; lapides in corpore terrae
 ossa reor dici; iacere hos post terga iubemur.'
